Thomas Michael Boone

JOANNIS DE TURRECREMATA

DE

POTESTATE

PAPAE ET CONCILII GENERALIS

TRACTATUS NOTABILIS.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1871.

Typis Wagnerianis Oeniponti.

Dem

Episcopate und Clerus

gewidmet

von

J. Friedrich.

Vorrede.

Die Schrift Turrecremata's (Torquemado's), welche ich hiemit der Oeffentlichkeit übergebe, ist nicht weiter bekannt. Selbst Quétif et Echard, Scriptores ordinis praedicatorum I, 840. nr. II. kennen nur den Titel: „Tractatus notabilis de poteſtate papae et concilii generalis auctoritate“: ſcilicet ad Basileenſem Oratorem responſio coram Eugenio IV. in Concilio Florentino exhibita. Prodiit teſte Joanne de la Caille, Hiſt. de l' imprim. p. 26 Coloniae, Henrici Quentel 1480 fol. Iterum hoc titulo: De pontificis maximi conciliique generalis auctoritate . . . . opera Camilli Campegii. Venetiis, Jordani Ziletti 1563 in 4., pp. 124. Letztere Angabe ist jedoch durchaus falsch, indem die von Campeggio veröffentlichte Schrift wesentlich verschieden von der ersteren ist.

Während meiner fortgesetzten Studien über die kirchliche Tagesfrage fand ich sie unter den Incunabeln unserer Münchener Hof- und Staatsbibliothek, und bald hatte ich mich überzeugt, dass ich eine Schrift vor mir habe, welche in verschiedener Hin-

sicht ein sehr bedeutendes historisches Interesse zu beanspruchen berechtigt sei und desshalb verdiene, wieder in weiteren Kreisen bekannt zu werden. Verfasst wurde sie nach den Worten des Verfassers im Beginne des zweiten Theiles selbst nach der XII. Sitzung des Concils von Basel.

Turrecremata's Bekämpfung des Concils von Constanz als eines ökumenischen wird überall angeführt. Er hatte in spätern Schriften gegen die IV. und V. Sitzung desselben besonders eingewandt, dass das Concil damals nur von einer Obedienz, der Johannes' XXIII., nicht auch von denen der beiden anderen Päpste, Gregor und Benedict, besucht war. Für die Geschichte des Concils ist es darum wichtig, die Art und Weise seiner früheren Bekämpfung desselben kennen zu lernen, worüber aber gerade diese Schrift vollständigen Aufschluss gibt. Und da er der hervorragendste Verfechter der Rechte Eugen's IV. ist, kann man ohne Uebertreibung behaupten, dass sie hinsichtlich der Concilien von Constanz und Basel eine wichtige Ergänzung der Literatur bildet.

Ein anderes historisches Interesse hat die Schrift vorzüglich auch hinsichtlich der Geschichte des sogenannten „Gallicanismus", wenn man diesen nach seinem Ursprunge prüfen will. Namentlich kann man sehen, wie richtig es ist, wenn die Civiltà cattolica bei Besprechung der Schrift des Dominikaners Bianchi, de conftitutione monarchica ecclefiae et de infallibilitate Rom. Pontificis juxta s. Thomam Aquinatem ejusque

scholam in Ord. Praedic. 1870. Romae — sagt: . . . parimente il P. Bianchi difende alcuni dell' Ordine di S. Domenico che si vorrebbero da taluni favorevoli alla ſentenza gallicana: S. Antonio che si è voluto teſtè preſentare come un precurſore e una colonna del Gallicanismo (tom. XI, 81). Ueber den hl. Antonin vgl. meine Abhandlung: Der Reichstag zu Worms 1521. Nach den Briefen des päpstlichen Nuntius Aleander. In den Denkschriften der k. bay. Akad. der Wiss. 1871. S. 85.

Endlich greift die Schrift auch in den kirchlichen Streit der Gegenwart ein. Jeder, der berufen ist, in demselben seine Stimme zu erheben, möge sich darum vorher einem sorgfältigen Studium dieser Schrift unterziehen. Vielleicht trägt sie zur Versöhnung der Geister nicht unwesentlich bei.

München, 18. Juni 1871.

Der Herausgeber.

Tractatus notabilis de potestate Papae et Concilii Generalis.

Prologus in sequentem tractatum incipit.

Quamvis, ut ait b. Hieronymus, grandes materias ingenia parva non ſufferant, materiam autem grandem et arduam cenſeam doctrinam quamlibet pertinentem ad fidei pietatem, quum nullibi quam in ipſa teſte b. Auguſtino periculoſius erratur, cum ſit juxta Apoſtolum fundamentum ſupra quod totius ſpiritualis aedificii ſtructura conſurgit: urget me tamen zelus domus dei, cujus fundamentum praedictum a Chriſto et Apoſtolis ſtabilitum per eos qui videntur domeſtici dei et in ſortem domini computati intueor agitari. Contra quos et ſi loqui nunc aut ſcribere quicquid coepero, forſitan moleſte accipient, ſed conceptum ſermonem quis tenere poſſit, imo quis tenere debeat hoc in loco. Vox enim plangentis auditur eccleſiae ploratus et ululatus multus, quia non jam a ſaevis tyrannis ut olim, aut ab his qui foris ſunt perſecutionem patitur, ſed quod durius eſt a propriis filiis impugnatur. Quod eo certe gravius plangit quo in capite laedi ſe percipit a nonnullis qui detrahere videntur ſermonibus veritatis ad increpandum tantummodo eloquia concinnantes. Hi enim ſuis novis dogmatibus s. patrum, qui tot et tantis miraculis claruerunt, antiqua violantes decreta ac terminos, quos ipſi praefixerant, tranſeuntes, cum tamen teſte b. papa Zozimo inconvulſis radicibus vivere apud nos debeat

antiquitas illa, cujus decreta patrum reverentiam ſanxerunt, nonnulla alias inaudita et dogmatizare et attemptare contra Chriſti generalem vicarium non verentur. Quid eſt enim, obſecro, illum, cui in perſona Petri dictum eſt: Tu vocaberis cephas et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in coelis, a ſubditis impeti, citari illique imperari ac inhibere ſub comminatione poenarum nec non et contra ipſum anathematizationis ac ſuspenſionis ſententias fulminare? Numquid membra caput ſubjicient, aut oves paſtorem oppriment? aut ſervi patrisfamilias eum quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram, foras ejicient, ſibimet judicium uſurpantes ac naturalem rerum ordinem pervertentes? Profecto verendum eſt, jam nos in illa fere tempora incidiſſe, de quibus Apoſtolus, imo per Apoſtolum s. ſpiritus proteſtatur: Quia inſtarent tempora periculoſa in quibus eſſent homines elati, protervi ac parentibus inobedientes, et quod in ipſis etiam temporibus disceſſuri eſſent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris. Si enim prioris ſynagogae, quae Chriſti eccleſiae tipum geſſit, periodum diligenter attendas, proculdubio reperies, quod quamdiu illius temporis ſummi ſacerdotii inſtitutio juxta Dei ordinationem ſervata fuit, tamdiu illius legis et populi ſtatus incolumis perduravit. Cum autem ſummi ſacerdotis inſtitutio et deſtitutio, dei ordinatione ſpreta, ex voluntate hominum dependere et ipſum ſacerdotium temporale ac mutabile, imo et animale eſſe incepit, quod quidem jam circa Chriſti tempora accidiſſe Joannes Ev. affirmat, cum de Caypha, quod eſſet ſacerdos anni illius commemorat, tunc curſum ſuum ſynagoga explevit. Cum ergo praedicti ad depreſſionem auctoritatis Chriſti vicarii, imo ut videtur ad deſtitutionem et inſtitutionem quinquennalem aut ſeptennalem ſummorum pontificum in generalibus conciliis moliantur: nonne videmus ad hoc jam tendere, ut ipſum ſummum

ſacerdotium cito efficiatur animale? Qui utinam redirent ad cor; nam licet neceſſe ſit ut veniant ſcandala, verumtamen, ſcriptura teſte, vae homini illi per quem ſcandalum venit. In talium enim ſcandalorum actores divina ultio etiam temporaliter dilationis impatiens legitur deſaeviſſe. Tradit namque hiſtoria numerorum, olim inſurrexiſſe conglobatos levitas, proceres ſynagogae et qui tempore concilii per nomina vocabantur, adverſus Aaron, ſummum domini ſacerdotem, in ſua mnltitudine confidentes atque ſanctitatem allegantes ac ſe habere dominum gloriantes. Cur, inquiunt, Aaron ſuper populum domini elevaris? ſufficiat tibi, quod omnis multitudo ſanctorum eſt et in ipſis eſt dominus. Sed revera quod ipſa multitudo quae ſummi illius ſacerdotis legalis praeeminentiam injuſte deprimere ſatagebat, non ſanctorum, ſed inſolentium et protervorum extiterit, ſubita ac rigida animadverſio patefecit; quorum ſimiles praefati moderni utinam non inveniantur in poena, qui ut videtur ſimiles illis volunt eſſe in culpa. Horum igitur opinioni, veritate ut confido illuſtrante inſpecta, quicquid alias ſenſerim, cupiens prout teneor obviare, ſequentem tractatum, cui de poteſtate eccleſiae et concilii generalis titulum praenotavi, ſanctorum quantum valui innixus auctoritatibus, rudi ſtilo ac brevi ſermone compegi juxta materiam inquirendo ſermonem moreque ſcolaſtico procedendo, nil tamen in his pertinaciter aſſerendo, ſed potius correctioni ſſ. ſedis ap. et determinationi ſanctiſſimi D. N. P. Eugenii IV cuncta ſubjiciendo, cui, ut habetur XVII diſt. Multis, majores ſeu difficiliores cauſae eccleſiae merito reſervantur. Ad quod etiam facit, quod b. Hieronymus ponit in cap. Haec eſt fides XXIV qu. I. Haec eſt, inquit, fides, pater beatiſſime, quam in catholica didicimus eccleſia quamque ſemper tenuimus, in qua ſi minus perite aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te qui Petri fidem et ſedem tenes. Si autem haec noſtra confeſſio

apoſtolatus tui judicio comprobetur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum vel malivolum vel etiam haereticum comprobabit. Haec ille. Et quod ſ. Thomas in II. II. qu. I. art. X. dicit: Ad illum, inquit, qui toti eccleſiae praeeſt pertinet determinare ea quae fidei ſunt,. ut inconcuſſa fide ab omnibus teneantur.

Explicit prologus.

Praeſens tractatus in tres partes dividitur, in quarum I. de poteſtate papae et concilii generalis quaeſtio movetur et ſolvitur. In II. quorundam decretorum conciliorum Conſtantienſis et Baſileenſis ſententia, poteſtatem concilii generalis papae poteſtati praeferens, cum ſuis fundamentis improbatur contrariaque ſententia declaratur et ponitur. In III. quaedam reſponſio facta ambaſciatoribus D. P. Eugenii IV. ex parte Baſileenſis concilii impugnatur ac refellitur.

INCIPIT PRIMA PARS TRACTATUS.

Quantum ad primum proponitur haec quaeſtio: Utrum generale concilium a D. papa convocatum et ab eodem confirmatum habeat poteſtatem a papae poteſtate diſtinctam? Et arguitur, quod ſic, quia alias ſequeretur magnum inconveniens, videlicet quod in casu quo papa indigeret correctione et nollet ſeipſum emendare, careret omnino correctore, cum non eſſet habens poteſtatem ſuper ſeipſum, et exemplo ſui erroris tota periclitaretur eccleſia: ergo videtur, quod nedum diſtinctam, ſed etiam majorem poteſtatem oporteat ponere in concilio, quam in papa. Praeterea eoipſo, quod papa concilium convocat et convocatum confirmat, videtur ſeipſum concilio ſubmittere, alias enim videretur fruſtra concilium convocare, ſi non ſit diſtincta poteſtas concilii convocati et papae convocantis, quia ſic omnia poſſet papa per ſeipſum, quae poſſit per concilium convocatum. Item ſ. Thomas in ultima quae-

ſtione ſup. II. ſentent. art. penult. inſequens Tullium tenet, quod non ſolum impune, ſed etiam meritorie ſeu laudabiliter aliquis ex ſubditis poteſt occidere tyrannum propter bonum reipublicae procurandum: ergo a fortiori licebit concilio, quod eſt plus quam perſona particularis, et ſi non occidere, ſaltem deponere papam tyrannum et eccleſiae corruptorem. Hoc autem non eſſet, niſi diſtinctam ab eo poteſtatem haberet vel majorem. Praeterea Chriſtus dicit Matth. XVIII.: Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Cum ergo concilium legitime congregatum ſit congregatum in nomine Chriſti, eſt ipſe Chriſtus in medio eorum: ergo a ſui praeſentia capit ipſum concilium auctoritatem immediate et ſic non dependentem a papae poteſtate, ergo aliam et diſtinctam. Praeterea b. Paulus reſtitit in faciem Petro et illum correxit, ut habetur Gal. II. Sanctus etiam Thomas II. 2. qu. XXIII. tenet, quod ubi imminet periculum fidei, ſubditi poſſunt arguere praelatos, ubi nec etiam papam excipit. Si ergo hoc licet privatae perſonae, multo fortius hoc licet ipſi concilio. Hoc autem non eſſet, niſi diſtinctam poteſtatem haberet. Praeterea Chriſtus dixit Petro: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in coelis, Matth. XV. Et poſtea idem dixit toti collegio apoſtolorum: Quaecunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, Matth. XVIII. Et quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, Joann. XX. Ergo ex ordinatione Chriſti videtur ſeparata poteſtas collegii a papae poteſtate. Alias videtur fruſtra dixiſſe unum vel aliud, cum alterum ſuffeciſſet.

In oppositum.

In contrarium arguitur primo ex fundamento ordinis naturalis. Nam conſtat, quod omnis multitudo recipit influxum a primo mediante aliquo uno, ſicut ſenſibilia ſuſcipiunt influxum a ſeptem orbibus et illi ſuam virtutem recipiunt a prima cauſa mediante primo

mobili ſecundum philoſophum. Et omnia corpora lucida illuminantur a prima cauſa non immediate, ſed mediante ſole et omnia calida ab eadem calorem participant mediante igne. Oportet ergo multitudinem praelatorum in concilio congregatorum a Chriſto influxum accipere mediante aliquo uno, niſi dicatur, concilium eſſe multitudinem quandam contra naturae ordinem congregatam et ſocietatem innaturalem, quod non videtur ſane dictum. Et haec eſt ſententia Dionyſii: Primum entium movere infima per media et media per ſuprema.

Ad idem arguitur ex fundamento ordinis politici. In omni enim principatu bene diſpoſito ſec. philoſ. in politicis eſt unus ſolus ſupremus princeps, ad quem pertinet directio omnium de illo principatu. Si ergo concilium, quod eſt quidam principatus ſive congregatio principum eccleſiae, eſt principatus bene diſpoſitus, oportet quod ejus actiones dirigantur per unum, quem papam dicimus, qui diverſitates opinionum et ſententiarum, quae ex multitudine capitum ut plurimum conſequuntur, habeat reducere ad unitatem, quia alias ſciſſurae multae in illo corpore miſtico inſurgerent, praeſertim ubi in partes aequales, ſicut poſſibile et facile eſt, dividantur, vel ubi, ut plurimum ſolet, potentiorum ſententia praevalere velit. Quae diviſio per hunc unum ad unitatem reduci habet, niſi dicatur, quod hoc non poſſet contingere eo quod tale concilium errare non poſſit, cujus oppoſitum infra oſtenditur. Non ergo alia erit poteſtas talis multitudinis et principis ejus, ſed una vel ſaltem duae ſubordinatae, quas licet pro una reputamus poteſtate.

Et confirmatur idem ex fundamento ordinis artificialis. Multae enim potentiae vel multa inſtrumenta bene ordinata non applicantur ad actum niſi imperio unius principalis potentiae. Sicut ad fabricam domus applicantur ſerra, dolabrum et malleus, manus, oculus et alii ſenſus exteriores, fantaſia et ratio ad imperium

ſolius voluntatis, non tamen eſt alia poteſtas domificativa in omnibus iſtis, ſed una ſecundum eſſentiam, licet alterius rationis ſecundum eſſe quod habet in ſingulis potentiis et inſtrumentis. Sicut ergo ſublato actu voluntatis non remanet aliquis motus ordinatus debite tendens in unum finem, ita nec in concilio ſublata papae voluntate vel poteſtate. Sed ut Varro ait: quot homines, tot ſenſus, una ergo erit utriusque poteſtas modo praedicto, cujus tamen principalitas ſit in papa. Praeterea Chriſtus praedixit futurum ut fieret unum ovile et unus paſtor, concilium ergo ut ſeorſum a papa ſumptum aut eſt ovile aut paſtor. Si paſtor, quaero, cujus ovilis, praeſertim cum dicat adverſarius, quod concilium totam univerſalem eccleſiam repraeſentat. Non eſt ergo paſtor eccleſiae, cum ipſum ſit eccleſia. Erit ergo aut paſtor ſuiipſius aut paſtor ſine ovili. Si ovile, ergo alicujus paſtoris, non autem niſi papae, cum nullus alius homo ſit extra ipſum ovile, ut ſupponitur in caſu: Igitur propoſitum. Si dicas, quod eſt paſtor reſpectu eorum qui non ſunt in concilio, de quorum ſalute agit, contra, quia ut dictum eſt ſecundum eos illos repraeſentat et ſunt quaſi unum virtualiter, cum non poſſint eſſe faciliter unum localiter. Et praeterea ponamus, quod tota chriſtianitas ſit ſimul in eodem loco, quod non eſt impoſſibile nec implicat contradictionem: iſtud concilium, cujus erit paſtoris? Si dicas, quod concilium quidem eſt ovile non papae, ſed Chriſti, qui eſt immediatus paſtor ipſius, hoc eſt frivolum dicere, quia paſtor et ovile debent eſſe unius ſtatus, ſaltem de paſtore immediato, quia aliquis principalis abſens poteſt ſubſtituere paſtorem delegatum. Eſſe autem unius ſtatus et unius converſationis cum ovili humano bene conveniebat Chriſto ante aſcenſionem, non autem poſtea. Ideo oportet loqui de alio paſtore, qui ſenſibiliter cum hominibus converſetur, propter hoc enim Chriſtus poſt reſurrectionem aſcenſurus in coelum et derelicturus humanum ſtatum ſecun-

dum praesentem conversationem providit de pastore conformis conversationis, ubi dixit Petro: Pasce oves meas, quasi dicat: Ego jam curam pastoris immediati habere non potero, sed te mei loco substituo, a quo etiam pastoratu ipse Petrus defecit, cum a praesenti statu excessit. Si forte dicatur, quod Petrus vel papa est quidam immediatus pastor ecclesiae disgregatae, non tamen in concilio congregatae: hoc videtur leviter dictum, quod aliquis sit pastor ovium dispersarum, et non simul congregatarum; quod dicere habent oppositam viam sequentes, videlicet quod papa non sit caput concilii, et per consequens nec praelatorum ibidem congregatorum, sed tantum in suis particularibus sedibus dispersorum. Licet etiam aliquorum error ad hoc dudum se extenderit, ut dicerent, etiam auctoritatem et jurisdictionem episcoporum et curatorum esse immediate a Christo, quem errorem prosequi non est praesentis propositi, praesertim cum contra ipsum doctores et signanter s. Thomas et Herveus diffuse tractaverunt. Praeterea si concilium habet aliam potestatem a potestate papae, aut hanc habet a seipso aut a Christo aut a papa. Non a seipso, quia tunc esset deus vel deorum multitudo a nullo dependens. Si dicas, quod non sequitur, quia multae communitates habent jurisdictionem a seipsis, inquantum singula earum est quaedam communitas; dico, quod hoc non est ad propositum; hoc enim accidit communitati, quae nullum habet superiorem de jure vel de facto, quia sic communi consensu civium sibiipsi et suis jus statuere et leges et regimen condere potest. Sed cum aliqua communitas habet dominum principalem et absolutum, cujus dominium non dependet ex arbitrio vel consensu subditorum, sicut jure belli vel pretii adquisitum, sicut habuit Christum ecclesia quamdiu Christus cum hominibus conversatus est, tunc tota potestas jurisdictionis jacet penes ipsum dominum. Et hinc est, quod non est legibus aliquid ordinatum ab apostolis, quamdiu

cum ipfis praefentialiter fuit Chriftus, fed totius collegii ordinatio ad ipfius pendebat imperium. Cum etiam a tali communitate recedit talis dominus totam fuam auctoritatem alicui vicario fuo dimittens nil auctoritatis relinquens ipfi communitati vel ejus fuppofitis, tunc talis communitas nullam poteftatem habet jurisdictionis five cives fint disperfi five congregati. Unde non majorem poteftatem habent in aula palatii uniti, quam finguli in fuis domibus disperfi; fed fubfunt mere poteftati ipfius vicarii, donec aliter ordinet, vel praefentialiter redeat principalis vel novum jus ipfi communitati conferret. Ita in propofito Chriftus, quamdiu vita mortali vixit, fuit immediatus rex et paftor mortalium et verus dominus independens, in cujus fignum abfcondit fe in monte, cum eum turbae voluerunt facere regem, Joann. VI., non folum in humilitatis exemplum, ut communiter exponitur, fed quia videbat, quod fuum dominium non erat talis naturae, ut dependere deberet ex hominum voluntate, cum ratio fontalis veri dominii effet in ipfo ratione deitatis unitae. Sed tranfire volens ex hac mortali vita feu mundo ad patrem dimifit vicarium fuum Petrum in terris dicens: Pafce oves meas, Joann. XXI. In quo verbo intelligitur collatum quod ante fuerat promiffum: Tibi fcilicet dabo claves regni coelorum, Matth. XVI. Et hanc commiffionem Petro faciendo nullam mentionem fecit de communitate ecclefiae, nifi tantum ut pafcatur, ligetur et folvatur et confirmetur, ubi dictum eft Petro: Confirma fratres tuos, Lucae XXII., et hoc donec redeat in ftatu gloriofo, et tunc ceffabit omnis vicariatus, Ezech. XXXIV.: Ecce ego ipfe pafcam oves meas etc. Et hoc exemplum omnino fimile effet, fi talis dominus recedens a fua communitate committeret illi ut, fi contingat vicarium fuum mori, eligant, quem voluerint ex feipfis, qui electus habeat ipfo facto eandem auctoritatem quam primo contulerat, et fic fucceffive. Tunc enim fi electus haberet plenam poteftatem non quidem ab ipfa com-

munitate, ſed a principalis domini ordinatione et conceſſione. Ita in propoſito, quia Chriſtus receſſurus a praeſenti converſatione reliquit ſuam poteſtatem Petro, quo mortuo eccleſia alium elegit, qui electus ipſo facto conſequitur eandem poteſtatem quam Petrus, non quidem virtute ipſius electionis vel eccleſiae eligentis, ſed virtute principalis domini ſic volentis et ordinantis. Quod ſi quaeratur, unde conſtat per ſcripturam, quod Chriſtus per hunc modum voluerit ſucceſſores Petri ſuam poteſtatem habere, cum de hoc nulla fiat mentio in evangelio: dicendum ſecundum Herveum, quod cum non ſint niſi duo modi ſucceſſionis in principatu bene ordinato, videlicet per haereditariam originem et per electionem voluntariam, eo facto quo non expreſſit primum modum quemadmodum fecit in veteri teſtamento, intelligitur voluiſſe et reliquiſſe ſecundum. Si vero dicatur, quod concilium ſortiatur hanc auctoritatem immediate a Chriſto, hoc videtur dictum ſine fundamento. Nullibi enim invenitur hoc in ſerie totius novi teſtamenti. Unde ſicut non legeremus hanc auctoritatem expreſſe collatam Petro plus quam Paulo, non attribueremus ipſam plus Petro quam Paulo; ita cum non legamus Chriſtum hanc contuliſſe concilio, non debemus dicere, concilium illam habere, niſi forte dicamus per novam revelationem vel novam collationem Chriſtum illam concilio tribuiſſe, de quibus aeque parum conſtat; vel niſi dicatur, hanc auctoritatem collatam eccleſiae vel concilio in perſona Petri, quod infra oſtendatur non eſſe verum. Sed forte vellent dicere, quod tunc concilium accepit immediate auctoritatem a Chriſto, cum vocavit diſcipulos et elegit duodecim ex eis, quos apoſtolos nominavit, Luc. XII. Dico, quod ex hoc non habetur, quod aliquam jurisdictionem illis contulerit, ſed ſolum ſpeciale officium evangeliſandi. Et hoc ſonat gloſſa Ambroſii dicentis, quod elegit duodecim ad procurandum auxilium ſalutis humanae, quos per terrarum orbem ſatores fidei aeſtimaret. Unde nec ipſi Petro ex

hac electione aliquam jurisdictionem tribueremus, nisi legeremus alias sibi ad partem esse collatam. Nec similiter fundari potest haec immediata collatio super illud Luc. IX.: Convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia et ut languores curarent, quia expulsio daemonum et languorum curatio nullam jurisdictionem important, sed solum gratiam quandam gratis datam quam merus laicus et infimus subditus habere potest. Unde et Marci ultimo data est vel promissa omnibus indifferenter perfectam fidem habentibus, quia signa autem eos qui crediderint haec sequentur etc. Quaedam autem aliae auctoritates, quibus hoc ipsum astrui possit, inferius evacuabuntur. Si ergo dicatur tertium, videlicet quod concilium hanc auctoritatem habet a papa, sic habetur propositum, quia tunc una erit auctoritas utriusque unitate ordinis et dependentiae de qua hic loquimur, quia potestates dependentes et subordinatae non sunt potestates simpliciter distinctae, nisi dicatur, quod papa suam auctoritatem transfert totaliter in concilium, seipsum illa privando, quod infra conclusione VIII. ostendetur non esse conveniens.

Ordo dicendorum in quaestione sequitur:

Circa istam quaestionem sic procedetur: I⁰. enim pro materiae dilucidatione ponuntur XIV. conclusiones cum suis probationibus et contra earum aliquas ponuntur aliquae objectiones et statim subjicientur solutiones. II⁰. vero respondebitur ad titulum quaestionis. Et tandem III⁰. dicetur ad rationes in oppositum factas in principio quaestionis.

I. Conclusio.

Quod non est tantum tribuendum judicio multitudinis, quin judicium solius papae etiam in agibilibus possit ante divinum conspectum judicio multitudinis praevalere.

Probatur de facto per exemplum Gregorii VI., qui tam a collegio cardinalium, quam a cetero clero et

populo romano judicabatur peſſimus paſtor et ſanguinis omnium effuſor, adeo quod ipſum morti vicinum unanimi conſenſu omnes judicarent indignum eccleſiaſtica ſepultura. Oppoſitum tamen oſtenſum divino et patenti miraculo per miraculoſam apertionem portae eccleſiae ſ. Pętri, ut habetur in chronica Martiniana.

II. Conclusio.

Quod concilium non habet judicare papam de quocunque defectu notatum.

Probatur concluſio ratione, exemplo et auctoritate. Ratione quidem, quia omne judicium ordinatum habet fieri per ſuperiorem poteſtatem, concilium autem non habet poteſtatem ſuperiorem poteſtati papae, cum ſit una utriusque poteſtas, ut probant rationes pro parte affirmativa factae, quae in hac concluſione verum concludunt. Tum etiam quia poteſtas papalis non eſt poteſtas primaria, ſed vicaria, quae ſolum de ſui natura habet ſupra ſe poteſtatem principalis inſtituentis, niſi appareat de ſummiſſione ejus alterius poteſtati per eum ad quem ſpectat ipſam ſummittere, quod non apparet de Chriſto, papa et eccleſia vel concilio. Unde ſicut aliqua communitas invadens ſuum rectorem a principali domino ſubſtitutum laeſae majeſtatis rea teneretur, cum debuerit recurſum ad principalem habere: ita etiam de concilio et papa. Nullam enim jurisdictionem habent inferiores ſuper vicarium eorum, niſi eis expreſſe ſit collata a principe ſubdelegante. Debet ergo concilium papam errantem admonere filiali caritate, obſecrare et hortari, ut errorem ſuum cognoſcat et corrigat. Quod ſi non fecerit, debet haberi recurſus ad Chriſtum, ut ipſum illuminet vel de medio tollat, ut de tyranno, qui non habet ſuperiorem, dicit ſ. Thomas in lib. de reg. princ. Sperandum enim eſt, quod Chriſtus in vicarium abutentem poteſtate ſua ſic oſtendet judicium, ſicut fecit in Anaſtaſium II. papam haereticis communicantem ſcilicet Fotino et Achatio, qui fuit metu

divino percuſſus, quia videlicet dum appellaret, emiſit inteſtina, ut habetur XIX. diſt. Anaſt. cum ſua gloſſa, et hoc non judicante, ſed orante concilio pro ſanctae eccleſiae defenſione, ut exinde trahi poteſt. Legitur ſimiliter punitus alius papa conſentiens Arrianis in concilio romano tempore b. Hilarii, licet de nomine iſtius in hiſtoriis inveniatur varietas, quia alii ipſum Leonem, alii Liberium vocant, ſed potuit eſſe binominis, ut dicit Vincentius, ſed non eſt curae de nomine, ubi conſtat de ſuppoſito vel de facto. Similiter etiam legimus divino judicio punitum Joannem XII., licet non in fide, ſed in moribus errantem, quia ſcilicet cum meretrice quieſcens repentina morte ſublatus eſt, ut refert Vincentius lib. XXV. cap. LXXXVI. Quod ſi aliquis occulto Dei judicio in ſuo errore a domino toleretur, non erit magnum, illum tolerari ab hominibus, qui a domino toleratur, ut dicit Auguſtinus.

Quod ſi objiciatur in hoc caſu non eſſe diſſimulandum, quia ex hac tolerantia imminet periclitatio totius univerſalis eccleſiae: dicendum quod non eſt diffidendum in hac parte de divina providentia, nec eſt facile praeſumendum, quod ob errorem unius perſonae tota periclitetur eccleſia, cui promiſſum eſt Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſaeculi. Etenim ſi quandoque naufragium patiatur, non tamen ſummerſionem. A multiplici enim naufragio Chriſtus hactenus eam liberavit, ut tempore Liberii papae, qui licet haereticus, tamen ſex annis in papatu a domino toleratus eſt, depoſito Felice papa catholico per Conſtantium imperatorem, ut ponunt Vincentius Bellovacenſis et Martinus in chronicis ſuis. Et licet nobis occulto ſuo judicio Chriſtus illum tanto tempore ſuſtinuerit, tamen non propter hoc eccleſia ſubverſa eſt, licet multum agitata procellis, quia tunc impune ſacerdotes catholici paſſim per orbem et in eccleſiis interficiebantur papa ipſo non contradicente. Sed tandem providit Chriſti potentia, quia hoc de medio, ut

credendum eſt, fidelium precibus ablato per ſucceſſorem catholicum eccleſia inſtituta eſt priſtinae paci et rectae fidei, et ſic poſt tempeſtatem tranquillum fecit qui utrumque habet in manibus. Similiter magnum naufragium paſſa eſt eccleſia, cum vacavit ſaepius ſedes Romana propter discordiam electorum, praeſertim cum ſemel vacavit ſeptem annis cum dimidio, ut in chronica Martin. legitur. Similiter cum illi menſtruoſa praefuit femina, quam et ſi deus occulto ſuo judicio execrabilis tamen vitae in ſede b. Petri ſuſtinuerit: non tamen ex hoc periit eccleſia. Eodem quoque modo tempore bb. Euſebii Vercellenſis, Hilarii et Martini confeſſoris ipſi fere ſoli catholici erant ceteris fere omnibus praelatis et clericis arriana peſte infectis, et tamen Chriſtus naviculam ſuam perambulantem et pervagantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, cum tandem ſopitis erroribus imperavit ventis et facta eſt tranquillitas magna. Quae omnia futura eſſe praefiguratum eſt in ipſa navicula Petri, agitata quidem ventis, minime tamen ſummerſa. Et futuros etiam errores in ipſis Petri ſucceſſoribus fore, praefiguratum eſt in ipſo periculo ſummerſionis Petri, ſed quod non humano ſtudio, ſed tantum divino auxilio hujusmodi periculis ſuccurrendum eſſet, praenotatum eſt in hoc quod Chriſtus non convocatis diſcipulis, ſed per ſemetipſum Petrum periclitantem erexit. Et etiam quod correctio Petri apoſtoli ad ipſum Chriſtum pertineret, oſtendit Chriſtus, cum dixit ipſe, non alius ab eo miſſus: modice fidei, quare dubitaſti? Matth. XIV. Firmiter itaque ſperare debemus in Chriſto, quod quemadmodum hactenus, ſic etiam in futurum ſuae eccleſiae contra quaecunque finalia pericula providebit. De qua dixit Matth. XVI.: Et portae inferi non praevalebunt adverſus eam. Non enim dixit: Non agitabunt vel perturbabunt, ſed non finaliter praevalebunt uſque videlicet ad ipſius extinctionem ſeu finalem conſummationem. Et confirmatur ſic concluſio per exemplum Marcellini, propter cujus idolatriam

congregato concilio, cum expectaretur, ut ipsum confessum errorem suum concilium condemnaret, concilium ipsum unanimi decreto respondit: Absit ut summus pontifex ab aliquo judicetur. Negasti tu? negavit Petrus magister tuus, et quis apostolorum ausus fuit eum judicare? Sed egressus foras flevit amare. Tu ergo in teipso collige causam tuam et ore proprio teipsum judica. Haec Martinus in chron. Quod si dicas, ut quidam fingunt, quod sic respondit concilium, non quia non potuit, sed quia noluit judicare ipsum, videndo ejus humilitatem, quia se concilii judicio humiliter summittebat: hoc est ad placitum dictum, nec in verbis dictae responsionis diligenter attentis fundatum. Non enim dixit ipsum concilium: Absit ut se humilians vel seipsum judicans, sed absit ut summus pontifex ab aliquo judicetur, quasi dicat: eoipso quod summus a nullo potest judicari, cum judex sit superior judicato, summo autem nihil sit summius. Dicendum ergo, quod sicut supposito, quod b. Petrus in sua negatione perstitisset, Christus per aliquem modum suae ecclesiae de alio vicario providisset, ita si Marcellinus in suo errore permansisset, non fuisset de jure quicquid sit de facto a concilio judicatum, sed Christus eum vel subito estinxisset, sicut de Anastasio dictum est, vel post aliquantam ex secreto suo judicio tolerantiam per successorem meliorem, sicut de Liberio et Joanne dictum est, suae ecclesiae providisset, et illam pristinae tranquillitati reddidisset. Confirmatur etiam exemplo Symmachi papae, de quo XVII. dist. Concilia, ubi expresse habetur, quod concilium romanum judicare noluit ipsum Symmachum, licet secundum glossam de haeresi notatum, de qua maxime videretur papa judicandus, sed ipsius concilii haec fuit decreta responsio: Symmachus papa sedis apostolicae praesul ab hujusmodi opinionibus impetitus quantum ad homines respicit sit immunis et liber, cujus causam totam dei judicio reservamus, nec potest dici, sicut de Marcellino, ut dictum est, quidam fingunt, quod con-

cilium ſic reſponderit, quia Symmachus ſe humiliaverit vel ſeipſum judicaverit, quia de hoc non fit ibi mentio nec in textu nec in gloſſa. Ideo dicendum eſt, quod concilium ſic reſpondit, quia cognovit, ſe tanquam ovile ſupra paſtorem nullam jurisdictonem habere vel judiciariam poteſtatem. Nec valet etiam, quod quidam dicere volunt, quod concilium ipſum judicavit, videlicet judicio abſolutorio dicendo, ſit immunis et liber, quia ſi hoc concilium intendiſſet, fruſtra addidiſſet: cujus cauſam totam dei judicio reſervamus, quaſi quod non ab hominibus, ſed a deo judicari poſſet. Ex quo etiam patet, quod illi de iſto concilio non crediderunt, ſe habere immediate a deo plenitudinem poteſtatis et judiciariam auctoritatem ſupra quamcunque perſonam, etiam ſi papalis dignitatis exiſtat, ut quidam moderni praeſumunt et garriunt; quod ſi hanc opinionem habuiſſent illi de iſto concilio utique tali auctoritate in Symmachum uti potuiſſent et debuiſſent.

Confirmatur etiam concluſio auctoritate, et primo Anacleti dicentis: ejectionem ſummorum pontificum ſibi ſoli dominus reſervavit, quamvis electionem eorum bonis ſacerdotibus et populis conceſſiſſet, ut habetur LXXIX. diſt. Ejectionem, ubi pro confirmatione rei dicit goſſa, quod hic fallit regula, quae dicit, ad quem ſpectat inſtitutio et deſtitutio, quia ſcil. eccleſia poteſt papam inſtituere modo praedicto, non tamen deſtituere. Item IX. qu. III. nemo: nemo judicabit primam ſedem juſtitiam temperare deſiderantem. Neque enim ab Auguſto neque ab omni clero neque a regalibus neque ab omni populo judex judicabitur. Item ibidem aliorum hominum cauſas deus voluit per homines terminare, ſed iſtius ſedis praeſulem ſuo ſine quaeſtione reſervavit arbitrio. Voluit b. Petri ſucceſſores coelo tantum debere innocentiam et ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam habere conſcientiam. Et ſunt verba Symmachi papae. Eadem penitus ſententia continetur in c. facta ſubditorum, et c. Ipſi ſunt, et duobus ſequentibus eadem

caufa et quaeftione. Item auctoritate Hieronymi, et habetur in c. haec eft fides XXIV. qu. prima, ubi Hieronymus loquitur papae fecundum gloff.: haec eft, inquit, fides, pater beatiffime, quam in catholica didicimus ecclefia quamque femper tenuimus, in quam fi minus perite aut parum caute forte aliquid pofitum eft, emendari cupimus a te qui Petri fidem et fedem tenes. Si autem haec noftra confeffio apoftolatus tui judicio comprobatur, quicunque culpare me voluerit, fe imperitum vel malevolum vel etiam non catholicum, fed haereticum comprobabit. Haec ille. Ex quibus patet, quod judicium de fide non ad concilium, fed ad papam b. Hieronymus refert, et quod papae fententia praeponenda eft fententiae cujuscunque. Cum igitur eidem non conveniat, effe fidei judicem et de fide judicari, fequitur, quod papa etiam de fide de qua magis videtur a nemine judicatur. Ad confirmationem etiam conclufionis facit, quod fcribit Auguftinus in lib. de conflictu vitiorum atque virtutum, ubi in perfona quorundam, qui ftatim ut non habent praelatum ad placitum fuum correctum, ipfum defpiciunt et ejus obedientiam fub fpecie fanctitatis, quam Auguftinus ibi contemptum vocat, fubterfugiunt, fic loquitur: Quis tu, ut pejoribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? te magis quam illos imperare decuerat, qui tibi non poffunt ingenio vel induftria coaequari? Obtempera ergo magis domini imperio, et non fit tibi cura de aliquo. Quibus ipfe obvians in perfona verae humilitatis refpondet: Si domini eft obtemperandum imperio humano fubdi neceffe eft magifterio. Ipfe enim dicit: Qui vos fpernit, me fpernit, et qui vos audit, me audit. Ita, inquis, oportet, fi talis, qui imperat, effet, fed non eft talis, per quem deus imperat. Sed Apoftolus contra: Non eft poteftas nifi a deo, quae autem a deo funt, ordinata funt; itaque qui poteftati refiftit, dei ordinationi refiftit. Quales enim effe debeant qui imperant, non eft a fubditis discutiendum. Haec ille.

Ubi etiam infra dicit expreſſe, quod Chriſtus dicens, ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribae et phariſaei etc., praevidit etiam tales paſtores futuros in eccleſia ſua, et tamen hortatur non ut ipſos abjiciamus, ſed ut faciamus quae dicunt, et non quae faciunt. Et ſi Auguſtinus hoc dicit generaliter de omnibus praelatis, multo tamen magis habet locum in praelato praelatorum. Qualis ergo ſecundum Auguſtinum eſſe debeat papa, videlicet poſtquam eſt papa, non eſt a ſubditis discutiendum.

Sed diceret forte aliquis, quod etſi nullus homo poteſt papam judicare, ſaltem hoc poteſt facere concilium generale, quod non eſt ſubditum papae, ſed ſupra papam. Reſp., quod et ſi a nonnullis hoc dicitur, a nullo tamen probatur, et ideo eadem facilitate contempnitur qua proponitur. Secundum hoc enim oporteret dicere, quod membra diſperſa ſunt quidem ſub capite, unita vero ſunt ſupra caput, quod eſt tam infideliter quam innaturaliter dictum, ut infra oſtendetur. Sed contra concluſionem iſtam videtur eſſe expreſſe c. Si papa diſt. XL., ubi dicitur, quod papa de nullo crimine a quocunque mortalium judicatur, niſi deprehendatur a fide devius. Ex quo ſequitur, quod ſaltem de haereſi ab homine poteſt judicari. Sed dicendum, ſuppoſito quod Bonifacius Affricanus, cujus eſt iſtud capitulum, fuit hujus opinionis, non tamen eſt adeo ſibi deferendum, quin potius deferendum ſit multis aliis ſi oppoſitum ſentiant. In hujusmodi enim dubiis praeponenda eſt ſententia multorum ſententiae unius, niſi ſit auctoritatis tantae, quod potens ſit aliorum opiniones refellere, quod non eſt in propoſito neque ratione doctrinae neque ratione dignitatis.

Quot autem et quanti ſint oppoſitum ſentientes patet discurrenti dicta veterum doctorum atque pontificum, qui licet quaſi innumeri occurrerent, tamen ſpecialiter inveniuntur Innocentius, a quo ſumptum eſt c. Nemo IX. qu. III.; Symmachus, a quo ſumptum eſt c.

Aliorum et Aurelius, a quo c. Facta eſt; Gelaſius, a quo c. Ipſi ſunt, et duo c. cuncta; Sixtus, a quo c. Mandaſtis II. qu. V.; Leo, a quo c. Auditum eſt; Nicolaus, a quo c. Nemini XVII. qu. IV., Paſchaſius vel Paſcalis, a quo c. Significaſti extr. de elect.; Innocentius, a quo c. Quanto extr. de translat. epiſcop.; Anacletus, a quo c. Ejectionem diſt. LXXIX.; Hieronymus, a quo c. Haec eſt fides XXIV. qu. I. Quae omnia capitula, licet magis vel minus expreſſe et ſub diverſis verbis, tamen conformiter in hoc conveniunt, papam ita omnes judicare, ut a nemine alio judicetur, non excludendo amplius caſum fidei quam caſum alium cujuscunque criminis, et mirum eſſet, quod tot et tanti viri et maxime b. Hieronymus, cujus ſententia non parum ponderanda eſt, non viderint hanc exceptionem eſſe fiendam. Et ſi viderint, magis mirabile eſt, nec aliquo modo credendum, quod ipſam non expreſſerint. Nec ullo modo praeſumendum eſt, illos ex ignorantia vel ignavia tacuiſſe punctum iſtum in materia tam ardua et ponderoſa et ſtatum totius eccleſiae concernente, cum maxime ſtuduerint omnes praefati negotia et dubia eccleſiae ſtatum concernentia exprimere et lucidare, et maxime b. Hieronymus, qui non in genere, ſed in ſpecie et in caſu fidei locutus eſt, ut patet tam textum quam gloſſam intuenti. Nec poteſt ſibi opponi, ut fortaſſis aliis praenominatis opponere poſſet cavillator, quod quia erant papae in favorem juris papalis ſcripſerunt, cum ipſe Hieronymus nec papa fuerit, nec papalis dignitatis ambitor, nec rom. curiae inſecutor. Attendendum etiam, quod illud c. Si papa non dicitur a Gratiano ad noſtrum propoſitum, ſed ſolum ad hoc, ut oſtendat, quod nulla dignitas juvat hominem, quin poſſit propter peccata propria a domino condemnari, unde per ipſum non intendit noſtrum propoſitum impugnare, quinimo ubi praeſentem materiam ex propoſito tangit, non inducit hoc capitulum, ſed alia praeallegata tanquam illis magis adhaerens. Et ideo illis

magis ſtandum eſt, praeſertim cum eorum gloſſae non illa abducant a noſtro propoſito, ſed ad idem illa trahant et adducant, ut infra patebit. Item contra hanc concluſionem videtur eſſe gloſſa ſuper dicto c. Si papa, quae dicit, quod papa poteſt accuſari et judicari non ſolum de fide, ſed de alio crimine, ſi ſit notorium et ipſe ſit contumax et incorrigibilis. Sed quod huic gloſſae non ſit multum deferendum, apparet primo ex ipſo modo loquendi, quia dicit: credo, ex quo apparet, quod gloſſator non intendit, quod ſuum dictum ſit neceſſarium, ſed credibile vel opinabile; et praeterea, quia contra hanc gloſſam ſunt aliae gloſſae, ut iſta in c. Mandaſtis II. qu. V., quae dicit, quod papa non poteſt ab aliquo judicari, neque etiam ab univerſali concilio. Item alia gloſſa in c. Nemo IX. qu. III. ſuper verbo: Ab omni clero, quae dicit hic argumentum, quod concilium non poteſt papam judicare, ut extr. de elect. Significaſti. Unde ſi totus mundus ſentiret in aliquo negotio contra papam, videtur ſententiae papae ſtandum eſſe, ut XXIV. qu. I. haec eſt fides. Haec gloſſa praedicta. Ex qua etiam gloſſa patet, quod intentio Hieronymi ſecundum gloſſatorem, quando dicit in c. praeallegato ubi dicitur: Si autem haec noſtra confeſſio apoſtolatus tui comprobetur, quicunque me culpare voluerit, ſe haereticum comprobabit etc., intentio, inquam, Hieronymi ſit, quod per literam „quicunque“ non intelligatur perſona particularis tantum, ſed etiam congregatio univerſalis per hoc quod dicit „totus mundus,“ et a fortiori totum concilium, quod non eſt totus mundus, niſi fortaſſe repraeſentative. Sic igitur patet, quod ſi iſtae gloſſae ſunt cujusdam (ſ. ejusdem) gloſſatoris, ipſe contradicit ſibiipſi. Et hujus contradictionis magis capienda eſt iſta pars, quam ſaepius replicat, quia ſignum eſt, quod illi magis adhaereat, et eſt pars quam tenemus, ut patet ex dictis. Si autem dictae gloſſae ſunt diverſorum gloſſatorum, ſtandum veriſimiliter eſt majori numero, qui facit pro

noſtra concluſione. Inſuper eſt advertendum, quod dictus gloſſator videtur eſſe perplexus in hac materia, quia in dicto c. Nemo, poſtquam dixit argumentum quod concilium non poteſt papam judicare, ut extr. de elect. Significaſti ſubinfert; ſed argumentum contra, quia orbis major eſt urbe XCIII. diſt. legimus, quam tamen contradictionem relinquit inſolutam, quaſi neſciat quam viam tenere velit. Et ſic quantum eſt ex vi hujus gloſſae non eſſet eligenda una pars potius quam alia. Quae tamen contradictio videtur ſatis de facili ſolvi poſſe, quia b. Gregorius, ſcribens ad Evandrum ep., ſi auctoritas quaeritur orbis major eſt urbe, loquitur expreſſe in caſu conſuetudinis, ut patet intuenti textum, quia ibi loquitur de conſuetudine eccleſiae romanae, in qua ſolebant aliqui diaconi praecedere presbyteros in ſedendo, ex qua conſuetudine alii diaconi per orbem volebant etiam praecedere ſuos presbyteros, cum tamen oppoſita conſuetudo eſſet per orbem. Scribit ergo Gregorius dicto episcopo, quod in hoc faciat ſervari conſuetudinem orbis qui hac parte major eſt urbe, non quidem ſimpliciter; nec mirum, quia nec ipſe orbis in hoc caſu ſolus, ſed una parva provincia major eſt urbe, quia ſecundum b. Hieronymum permittendum eſt, ut unaquaeque provincia in ſuo ſenſu abundet. Quod etiam b. Ambroſius docuit de obſervatione jejunii diei ſabbati. Et hoc generaliter vindicat ſibi locum in his quae non ſunt expreſſe deciſa vel determinata jure divino et evangelico; et quia ſedes ap. ſpecialiter non prohibet, ſed concedit vel diſſimilat unicuique ecclesiae vel provinciae pro ſuo ſenſu ſervanda, ſicut de officio eccleſiaſtico et multis ceremoniis eccleſiaſticis, in quibus multae eccleſiae romanam non ſequuntur; nec tamen errant, quia ſic patitur ipſa romana eccleſia, quae tamen omnes tales leges ceremoniales tollere poſſet, ſi vellet, quia omnem legem et conſuetudinem abolere et tollere poteſt, dummodo non ſit contra evangelium vel dicta apoſtolorum, ut habetur XXV. qu. I. c. Sunt et IV. c.

ſequentibus, quorum primum ſic habet: Sunt quidam dicentes, romano pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges, quod nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quantum inde novas leges concedere poteſt, unde evangeliſtae aliquid nequaquam dixerunt: ubi vero aperte dominus vel ejus apoſtoli et eos ſequentes ſ. patres ſententialiter aliquid diffinierunt, ibi non novam legem romanus pontifex dare, ſed potius quod praedicatum eſt usque ad animam et ſanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt apoſtoli et prophetae, deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur; ſed hoc procul ſit ab eis qui ſemper domini eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt. Haec ibi. Ex quibus patet, quod ſatis leviter arguit gloſſator praefatus ſuper dicto c. legimus XCIII. diſt., quando ſubinfert argumentum, quod ſtatutum concilii praejudicat ſtatuto papae, ſi contradicat. Primo, quia hoc non ſequitur ex verbis praemiſſis Gregorii, quia non loquitur de ſtatutis, ſed de conſuetudinibus, nec loquitur de concilio generali, ſed de eccleſiis extra urbem et de hac eccleſia particulari, quae eſt ſ. Petri vel Laterani in urbe quae poteſt habere ſuas conſuetudines aliis eccleſiis habentibus ſuas, quamdiu princeps orbis hoc diſſimilat et patitur in reſiduo ipſius orbis, quod in hac parte vult eſſe majus urbe quoad eos tantum qui et quando ſunt in urbe, et hoc quousque ſibi placuerit, aliter ordinare, videlicet mandando et ſtatuendo, quod talis conſuetudo urbis ſervetur per orbem ubique locorum, et tunc eo facto urbis (ſic) major eſt orbe. Item concordantia, quam adducit ipſe gloſſator pro hoc argumento, videl. IX. qu. III. Nemo, nihil ad propoſitum, quinimo ad oppoſitum, quia ibi expreſſe dicitur, quod papa a nemine judicatur, neque etiam ab omni clero, quod non ſingulariter vel diviſive, ſed generaliter et collective capit ibidem gloſſa, videl. pro concilio generali. Unde

ſuper verbo Omni clero dicit argumentum, quod ſententiae papae ſtandum eſt, etiam ſi totus mundus contrarium ſentiat. Et quod iſte fuerit intellectus b. Gregorii, colligi poteſt per id quod in ſimili caſu ſcribit Auguſtino Anglorum epiſcopo, et habetur XII. diſt. Novit: Mihi placet, inquit, ut ſive in romana ſive in Gallicorum ſive in qualibet eccleſia inveniſti, quod plus poſſit omnipotenti deo placere, ſolicite eligas et in Anglorum eccleſia, quae in fide adhuc nova eſt inſtitutione praecipua de multis eccleſiis colligere poteris infundas. Ex quo apparet, ſe non velle artare quemquam ad omnes conſuetudines romanae eccleſiae obſervandas. Idem etiam dici poteſt et de legibus ipſius romanae eccleſiae, quae licet in ſe omnes fidelium eccleſias ligent, tamen poteſt fieri, ut diſſimilatione legislatoris alicubi impune ex certa cauſa non ſerventur. Facit etiam contra dictam gloſſam alia gloſſa ſuper c. Quanto extra de translatione epiſcoporum, quae ſic habet: Romanus pontifex dicitur habere coeleſte arbitrium C. de ſumma tri. l. I. in fi. Et idem etiam naturam rerum immutat, ſubſtantialia unius rei applicando alteri ar. e. coram del. II. Et de nihilo poteſt aliquid facere C. de rei ux. l. una in principio, et de conſe. diſt. II. Revera. Et ſententiam, quae nulla eſt, facit aliquam III. qu. VI. hoc quippe quia in his quae vult, eſt ei pro ratione voluntas. Inſti. de jure nat. §. Sed quod principi. Nec eſt qui ei dicat, cur ita facis, de poeni. diſt. III. Quamvis. Ipſe enim poteſt ſupra jus diſpenſare, de conceſ. praeben. propoſuiſti. Item de juſtitia poteſt facere injuſtitiam, corrigendo jura et mutando, extr. de appell. Ut debitus, et de conſangui. Non debet. Et plenitudinem obtinet poteſtatis II. qu. VI. decreto. Haec omnia praedicta gloſſa, quae omnia bene conſiderata et ponderata concluſionem noſtram roborant et praeadductam contrariam gloſſam impugnant. Si enim papa coeleſte habet arbitrium, nonniſi ab eo qui ſuper coelos eſt, poteſt judicari. Si non eſt,

qui dicat ei, cur ita facis, invanum ei corrector affignatur. Inter homines dico, quia major eft homine et minor deo. Si plenitudinem obtinet poteftatis, fupervacue nituntur ipfum alterius fubjicere poteftati.

III. Conclusio.

Quod circa ea, quae fidei funt, non poteft concilium fine auctoritate papae aliquid diffinire.

Haec conclufio eft de mente f. Thomae II. II. qu. I. art. X. dicentis in corpore quaeftionis: Ad illius auctoritatem pertinet editio fymboli[1]), ad cujus auctoritatem pertinet fententialiter determinare ea quae funt fidei, ut ab omnibus inconcuffa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem fummi pontificis, ad quem majores et difficiliores ecclefiae quaeftiones referuntur, ut dicitur in decretis dift. XVII. c. Multis. Unde et dominus Luc. XXII. Petro dixit, quem fummum pontificem conftituit: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando converfus confirma fratres tuos. Et hujus ratio eft, quia fides una debet effe totius ecclefiae fecundum illud I. Cor. primo: Idipfum dicatis omnes, et non fint in vobis fcifmata. Quod fervari non poffet, nifi quaeftio fidei exorta determinaretur per eum qui toti ecclefiae praeeft, ut fic ejus fententia teneatur a tota ecclefia. Et ideo ad folam auctoritatem fummi pontificis pertinet nova editio fymboli, ficut et omnia alia, quae pertinent ad totam ecclefiam, ut congregare fynodum generalem et hujusmodi. Haec ille. Ex quibus verbis non folum auctoritas, fed etiam ratio habetur, fi non velit quis oculos claudere, fatis conclufionem efficaciter demonftrans. Confirmatur tamen auctoritate canonis

1) Es ift eine ganz unrichtige Darftellung der Anfchauung der alten Kirche, welche der hl. Hieronymus in einem Briefe an P. Damafus ausgefprochen hat: fi jubetis, condatur nova poft Nicaenam fidem, et fimilibus verbis cum Arrianis confiteamur orthodoxi. Davon dafs dem Papfte für fich die editio fymboli zukomme, ift hier durchaus nicht die Rede.

XXIV. qu. I. Quotiens, ubi Innocentius, quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos noſtros nonniſi ad Petrum i. e. ſui nominis et honoris auctoritatem debere referre veluti nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit eccleſiis omnibus prodeſſe. Confirmatur etiam per gloſſam dicti ca., quae volens removere dubium, quia aliqui canones videntur ſentire contrarium. Concordat illos per diſtinctionem dicens: Aliud eſſe quaeſtionem de fide motam terminare, quod nulli praeterquam romanae ſedi permittitur, ſicut hic dicitur; aliud eſt ſine diffinitione ventilare, quod etiam patriarchae facere poſſunt. Et hoc volunt alii canones. Et ſi dicas, quod hoc capitulum et gloſſa intendunt ſolum removere deciſionem fidei ab hoc vel illo praelato, ſed non a concilio praelatorum, hoc eſt voluntarie dictum. Mirum enim eſſet, quod gloſſa hanc exceptionem non poſuiſſet. Et ideo eadem facilitate contemnitur haec exceptio, qua profertur, praeſertim cum expreſſa doctrina ſ. Thomae oppoſitum patere poſſit.

IV. Conclusio.

Quod concilii convocatio ad ſolum papam pertinet ſic quod alias nullius eſt roboris vel momenti.

Haec etiam concluſio eſt de mente ſ. Thomae, ut patet ex verbis praemiſſis in praecedente concluſione. Et confirmatur etiam per c. regula XVII. diſt., ubi dicitur: Regula veſtra nullas habet vires, nec habere poterit, quum nec ab orthodoxis epiſcopis hoc concilium actum eſt, nec romanae eccleſiae legatus interfuit, canonibus praecipientibus ſine ejus auctoritate concilia fieri non debere; nec ullum ratum eſt aut erit unquam concilium, quod ejus non fuerit auctoritate fulcitum. Ubi dicit gloſſa ſuper verbo legatus, quod non ſufficit, quod ſit ibi legatio generalis, ſed debet eſſe legatus ad hoc ſpecialiter deputatus. Et idem patet per multa cap. eadem dicentia, ſpecialiter per

c. multis, ubi dicitur, quod tale concilium potius conventiculum vel concionabulum (!) ſit dicendum. Ad idem facit c. dudum in qu. VI. Sed hic currit dubium: Quid ſi expediat concilium celebrari propter ſuſpicionem erroris papae: numquid poterit absque ejus auctoritate congregari? Dicendum, quod eo caſu eſt aviſandus per eos, qui ipſum caritative diligunt, de errore ſuo. Et ſi nolit credere ſe errare propter unum vel paucos oppoſitum tenentes, tunc eſt rogandus, ut generale concilium convocet, ut ſic ſaltem credat plurimorum judicio. Et hoc ſatis clare habetur ex c. Concilia diſt. XVII. §. hinc etiam, ubi habetur, quod cum imperator Theodericus convocaſſet concilium Romae ad petitionem quorundam, qui papam accuſare volebant, de haereſi ſec. gloſſ. epiſcopi congregati dixere imperatori: ipſum papam, qui dicebatur impetitus, debere ſynodum convocare. Scientes, inquit ibi textus, quia ejus ſedi primum Petri ap. meritum, deinde ſecuta juſſione domini conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictae ſedis antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio. Ad haec ſereniſſimus rex deo inſpirante reſpondit: Synodalis eſſe arbitrii in tanto negotio ſequenda praeſcribere, nec aliquid ad ſe praeter reverentiam de eccleſiaſticis negociis pertinere. Committens etiam poteſtati pontificum, ut ſive propoſitum vellent audire negotium ſive nollent, quod magis putabant utile, deliberarent, dummodo venerandi proviſione concilii pax in romana civitate daretur. Epiſcopi vero in ſynodo reſidentes, congregata auctoritate ejusdem Symmachi dixerunt etc. Ex quibus ſatis patet, quod epiſcopi illi congregati auctoritate imperatoris non judicaverunt, ſe eſſe legitimos congregatos, ſed poſtea cum dicitur reſidentes in ſynodo congregata auctoritate ejusdem Symmachi, quod non eſt intelligendum quoad principium, quia, ut praedictum eſt, principium hujus congregationis fuit imperator, ſed debet intelligi, quod poſtquam impera-

tor reliquit eos in libertate ſua et jure eccleſiaſtico, papa dedit auctoritatem ſuam, ut ſic illegitime congregati nihilominus poſſent concilium celebrare. Et iſta papalis auctoritatis interpoſitio vocatur hic congregatio, quia alias eſſet contradictio in verbis, et praeſumendum eſt, quod ad preces et ſuggeſtionem dictorum praelatorum papa ſuam auctoritatem interpoſuit, et tunc crediderunt ſe ad concilium legitime congregatos. Et nota, quod iſti epiſcopi non fuerunt hujus opinionis, quod ipſimet ſic, ut praemiſſum eſt, congregati poſſent ipſam congregationem illegitimam legitimam facere et ipſum concilium fundare et proſequi tanquam habentes auctoritatem immediate a deo eo facto quo congregati, ut quidam hodie putant, quia ſi ita fuiſſet, non diceret textus: auctoritate Symmachi congregata, cum de facto illam non congregaſſet, ſed congregatam approbaſſet. Praeſertim tamen hoc exiſtimandi cauſam habebant, quia de papae ejusdem judicio tractandum erat. Quod ſi quaeras, quid fiet, ſi papa ſit requiſitus non velit concilium congregare vel congregato ſuam auctoritatem interponere: dico, quod tunc recurrendum eſt ad deum tanquam ad dominum principalem, ut ſuum vicarium illuminet et corrigat vel de alio ſuae plebi provideat, ut in II. concluſione dictum eſt et infra dicetur.

V. Conclusio.

Quod nedum convocatio, ſed etiam mediatio et terminatio concilii ad papam pertinet ita quod, quae ibi tractantur, ordinantur vel ſtatuuntur, non habent robur aut vim legis niſi eadem auctoritas papae confirmet.

Patet concluſio ex verbis ſ. Thomae, ubi ſupra in reſponſione ad ſecundum, ubi dicit, quod ad ſolum papam pertinet concilium convocare et ejus ſententias approbare. Hoc idem tenet Herveus expreſſe in tractatu ſuo de poteſtate papae. Idem patet per c. Multis XVII. diſt. Multis denuo apoſtolicis et canonicis atque

ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia romani pontificis concilia celebrari, quapropter, ut jam dictum est, recte non concilium, sed vestrum conventiculum vel concionabulum cassatur, et quicquid in eo actum est, irritum habeatur et vacuum.

VI. Conclusio.

Quod papa non subjicitur generalis concilii legibus, nec illas servare tenetur, nisi quas ipse confirmavit, et ad illas etiam non de necessitate, sed de honestate tenetur.

Satis patet conclusio ex praecedentibus, quia si concilium dependet a papa quoad sui principium, medium et finem, ut dictum est, eo facto papa est ipso concilio superior, sicut causa, a qua quid dependet superior est ipso dependente. Superior autem inferiorum legibus non artatur. Confirmatur tamen per illud quod habetur XXV. qu. I. c. Ideo. §. his ita. Et videntur esse verba Gratiani solventis quaestionem, quia quidam canones videbantur dicere, papam subditum concilii legibus, quidam vero contrarium. Et volens jura juribus concordare, distinguendo dicit: His itaque respondetur, ss. romana ecclesia jus et auctoritatem s. canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim jus condendi canones, utpote quae caput et cardo est omnium ecclesiarum, a cujus regula dissentire nemini licet. Ita ergo canonibus auctoritatem praestat, ut seipsam illis non subjiciat, sicut Christus qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octavo die circumcisus, 40. die cum hostiis in templo est praesentatus, ut in seipso eam sanctificaret. Postea vero ut se dominum legis comprobaret contra literas legis leprosum tangendo sanavit, apostolosque contra literas sabbati ipsum per sata praetergredientes excusavit etc. et infra. Hinc etiam de eo dicitur: Erat Jesus docens tanquam potestatem habens i. e. tanquam dominus legis, addens moralibus quae deerant ad perfectionem, umbram figuralium in lucem spiritualis intelligentiae commutans,

non tanquam fcribae eorum, qui literis legis aftricti non audebant aliquid immutare. Sic et fummae fedis antiftites canonibus a fe five ab aliis fua auctoritate conditis reverentiam exhibent et eis fe humiliando ipfos cuftodiunt, ut aliis obfervandos exhibeant. Nonnunquam vero feu jubendo feu decernendo feu aliter agendo fe decretorum dominos et conditores oftendunt. In praemiffis ergo cap. aliis imponitur neceffitas obfequendi, fummis vero pontificibus oftenditur ineffe auctoritas obfervandi, ut a fe tradita obfervando aliis non contemnenda demonftrent, exemplo Chrifti, qui facramenta quae ecclefiae mandavit obfervanda, primum fuscepit in feipfo, ut ea in feipfo fanctificaret. Oportet ergo primam fedem, ut diximus, obfervare ea quae decernendo mandavit, non neceffitate obfequendi, fed auctoritate impartiendi; licet itaque fibi contra generalia decreta fpecialia privilegia indulgere et fpeciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto. Sacri fiquidem canones ita aliquid conftituunt, ut fuae interpretationis auctoritatem f. rom. ecclefiae refervent. Ipfi namque foli canones valent interpretari, qui jus condendi eos habent. Unde in nonnullis ca. conciliorum, cum aliquid obfervandum decernitur, ftatim fubinfertur, nifi auctoritas rom. ecclefiae aliter imperaverit. Haec ibi in textu de verbo ad verbum. Idem etiam habetur in c. Significafti extr. de elect., ubi dicitur, quod in ftatutis concilii femper excipitur rom. fedis auctoritas. Gloffae etiam idem confirmant fuper praedicto c. Ideo, et fuper pri. c. dictae caufae XXV. qu. I. Idem gloffa fuper verbo Fortaffe de confe. dift. pr., quae dicit, quod ftatuta concilii papa poteft ex caufa infirmare et immutare. Eadem etiam conclufio eft de mente f. Thomae in praeallegato art. X. pr. qu. XXII. Quia fi, ut ipfe dicit ibi, concilium praecedens non ligat concilium fubfequens, quin etiam circa ea quae fidei funt, poffit de novo aliquid ordinare: pari modo non poteft ligare papam, a cujus

poteſtate ſecundum ipſum ipſius concilii dependet auctoritas. Item patet etiam haec concluſio ex hoc, quod ponit ſ. Thomas in quaeſtionibus de quolibet quotlibet IV. qu. XIII., ubi dicit, quod in ſolis his quae ſunt de lege naturae et in articulis fidei et in ſacramentis novae legis papa diſpenſare non poteſt; in quibuscunque autem per eccleſiam vel praelatos eccleſiae inſtitutis et generaliter in omnibus aliis quae ex humana inſtitutione proceſſerunt, diſpenſare poteſt. Haec ille. Ex quibus omnibus relinquitur notum, quod concilium generale non poteſt condere legem aliquam per quam derogetur poteſtati papae, ipſam reſtringendo vel in aliquo dimminuendo. Quodſi dicatur contra, quia in aliquibus canonibus invenitur, quod concilia dederunt primatum papae, hoc debet intelligi ſecundario, quia primarie habet primatum a Chriſto, ut declarat gloſſa ſuper verbo voluerunt in c. dudum III. qu. VI. cum ſuis concordantiis. Vel alias ſecundum mentem Hervei hoc eſt intelligendum declarative, non collative, quia videl. concilia declaraverunt et diffinierunt, papam habere primatum ſuper totam eccleſiam. Non quod talem primatum ipſa concilia contulerint, quae quicquid exiſtentiae, roboris vel virtutis habuerunt, ab ipſo papa ſusceperunt. Quod bene innuitur in ipſo verbo Voluerunt. Et eſt talis modus loquendi, ac ſi aliqui ex confratribus meis ignorantes vel haeſitantes penes quem eſſet jus papatus, vellent me habere in papam. Ego ſciens jus papatus mihi non incumbere, dicerem, ego nolo eſſe papa, ſed vos volo habere talem in papam, quem videl. ſcio habere jus papatus. Et tamen conſtat, quod per verbum volo nihil juris ſibi confero, ſed quod ſibi aliunde collatum eſt, recognoſco et volo ab iis recognoſci, ut tollam eorum errorem. Itaque cum aliqui hactenus dubitarent, vel dubitare poſſent, penes quem principaliter reſideret primatus eccleſiae, noluerunt ſſ. patres hunc credi eſſe penes ipſa concilia, ut aliqui putabant, ſed penes rom. ſedem vel ipſum do-

minum papam. Quod etiam confirmatur per can. IX. qu. III. c. Cuncta, ubi dicitur, quod quos concilium damnat, papa possit absolvere, quod nequaquam esset, si auctoritas papae non esset superior auctoritate concilii, et per consequens illi non subdita. Per hunc etiam modum intelligendum est, sicubi invenitur, quod Constantinus vel alii imperatores voluerunt, quod ecclesia rom. haberet principatum super omnes ecclesias. Hoc enim jus ipsi tradere non potuerunt, cum super hoc nullam auctoritatem habuerunt, sed significarunt subditis suis et mandaverunt, si qui forte de facto id cognoscere nollent, quod de jure cognoscendum erat. Eodem etiam modo capiendum est, quod legitur, Constantinum vel alios principes dedisse Romam vel alias terras ecclesiae, potius enim fuit cessio quam donatio. Id enim donare dicitur quis quod de jure possidet; cedere autem illi potest, quod de facto tenet. Jus autem et proprietas dominii universi orbis penes eum resídet, qui est rex regum et dominus dominantium; cujus est terra et plenitudo ejus; et penes illum, quem supra orbem et partem ipsius jus dare voluerit. Hinc est, quod terra promissionis juridice fuit a populo et regibus Israel possessa, quia illis speciali divina concessione commissa et deputata. Ceteri autem reges illo tempore potius de facto, quam de jure dominabantur reliquis partibus orbis. Adveniente autem filio dei in carnem omne dominium orbis ad ipsum de jure devolutum est, ut Joann. pr. dicitur: In propria venit, videlicet tanquam filius, sed sui eum non receperunt, quos quidem subjicere poterat coactione, sed maluit trahere devocione, ut non quasi tyrannus timore, sed verus rex amore regnaret. Quod a Zacharia praedictum fuerat: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus et ipse pauper, Zach. IX., et etiam a Sibilla: Non, inquit, in gladio bellove Aeneadum urbes regesque subjiciet; sed in hamo piscantis, in dejectione et pauperie superabit divitias, et superbiam conculcabit. Si qui igitur

tempore Chrifti dominabantur in orbe, non jure divino, fed poteftate humana vel violentia dominabantur; ficut et de imperatoribus novis dicit Auguftinus in de civ. dei, quod illud jus habuerunt, quod contulit gladius. Poft exceffum ergo Chrifti veri regis a praefenti converfatione ille folus jus et dominium habuit in terris, cui ipfi curam et regimen commifit. Hoc autem foli Petro contuliffe legitur, et ideo poft Chriftum folus Petrus habuit veram jurisdictionem fupra univerfum orbem, et poft Petrum fui fucceffores in fede Petri. Igitur b. Silvefter etiam antequam Conftantinus ei cederet, quae humana potentia occupabat, et quae illi jure divino debebantur, erat verus dominus orbis de jure, etfi non de facto. Cum autem Conftantinus coactus divinis miraculis et expertus in fe divinam potentiam venit ad cognofcendum Silveftrum jure divino effe dominum orbis et dei vicarium in terris, receffit ab ipfa fede totius orbis, dimiffo etiam imperio occidentali ipfi Silveftro, qui cenfendus eft etiam orientale reliquiffe, fi b. Silvefter annuiffet. Sed quia decens eft, ut propter infolentias malorum fit aliquis qui exerceat officium gladii corporalis, congruum fuit, ut in fubfidium regiminis temporalis et adminiftrationis mundialis ipfe Silvefter et alii fucceffores haberent fub fe aliquem penes quem devolveretur cura etiam utriusque imperii. Et hinc eft, quod hodie et ab antiquo imperatores in fua coronatione fidelitatem praeftant domino papae tanquam vero et univerfali orbis domino et gladium ab ipfo fufcipiunt tanquam ejus auctoritate, non propria poteftate regimen orbis affumant. Poft illud igitur tempus coepit Silvefter et fucceffores de facto et jure tenere quae prius de jure folum poffidebant. Quapropter tantum hodie juris quis habet in dominio, quocunque nomine dominii cenfeatur, quantum fibi a principe orbis et urbis expreffe conceditur vel fimilatorie fuftinetur. Ceteri autem tyranni non reges vel domini funt vocandi. Nihil igitur Conftantinus ecclefiae,

proprie loquendo, vel alii donaverunt, fed potius ecclefia illis donavit, ut de facto poffiderent, quae ipfi ecclefiae vel capiti ejus de jure debebantur. Et hinc eft, quod hoc recognofcens Juftinianus imperator fcribit C. de ve. jure enucl.: Deo auctore noftro gubernante imperium, quod nobis a coelefti majeftate traditum eft, et bella feliciter peragimus et pacem decoramus et ftatum reipublicae fuftentamus et ita noftros animos ad dei adjutorium omnipotentis erigimus, ut neque armis confidamus, neque noftris militibus neque bellorum ducibus vel noftro ingenio; fed omnem fpem ad folam referimus fummae providentiam trinitatis, unde et mundi totius elementa procefferunt et eorum difpofitio in orbem terrarum introducta eft. Quod fi dicas, quod in his verbis imperator recognofcit dominium deitatis tantum, ficut et ceteri praedeceffores pagani, fed nihil recognofcit ab homine Chrifto, adde quod eodem libro fcribit fub titulo de officio praefecti praetoris, Affricae fcilicet: In nomine Domini Jefu Chrifti ad omnia concilia omnesque contractus femper progredimur. Per ipfum enim imperialia jura fufcepimus, per ipfum pacem in aeternum firmavimus, per ipfum acerbiffimos hoftes et fortiffimos tyrannos fubjecimus, per ipfum multas difficultates fuperavimus, per ipfum Affricam defendere et fub noftrum imperium redigere nobis conceffum eft; per ipfum quoque, ut uno moderamine recte gubernetur et firme cuftodiatur, confidimus. Ex quibus patet, quod imperator non ex confenfu hominum, ut quidam dicunt, fed voluntate Chrifti fe imperialia jura tenere arbitratus eft. Quod non fic eft intelligendum, quod ipfe cum Chrifto fuerit locutus vel Chriftus cum ipfo, ficut Petro dicens: Pafce oves meas, Jo. XXI.; fed quod a vicario Chrifti in terris quantum ad forum extrinfecum pertinet, haec jura obtinuerit, ipfo tamen Chrifto principali et fontali auctore.

VII. Conclusio.

Quod in ſolo papa reſidet ſuprema poteſtas ſeu plenitudo eccleſiaſticae poteſtatis, cui omnis alia poteſtas tam eccleſiaſtica quam terrena ſubſervire et adminiculari tenetur.

Probatur concluſio primo quoad primam partem, quum in omni communitate bene ordinata oportet apud ſupremum caput et principem illius communitatis reſidere plenam poteſtatem ſe extendentem ad omnia neceſſaria et evidenter expedientia bono reipublicae illius communitatis. Entia enim ſec. philoſ. nolunt male diſponi XII. metaph. Male autem diſponerentur niſi in communitate eſſet unus ſupremus rector et praeſidens, per cujus auctoritatem et poteſtatem arcerentur mali et promoverentur boni et omnes et ſinguli dirigerentur absque impedimento ad finem ultimum et bonum principaliter intentum, ad quod eſt illa communitas ordinata. Conſtat autem, quod papa eſt ſupremus princeps et paſtor eccleſiae ac totius chriſtianae communitatis, quam Chriſtus ſub eo tanquam ſub uno principali capite et paſtore gerendam diſpoſuit et optime ordinavit dicens: Fiat unum ovile et unus paſtor, Jo. X., et ejusdem XXI.: Paſce oves meas &c. Unde oportet in ipſo papa ſolo ponere hanc ſupremam poteſtatem ſeu plenitudinem poteſtatis, cum id quod ſupremum eſt pluribus convenire non poſſit. Et ideo gloſſa ſuper verbo praedicto: Paſce oves meas, dicit, quod tunc data eſt Petro plenitudo poteſtatis, et conſequenter cuilibet ſucceſſori ſuo; nam quilibet aſſumitur in plenitudinem poteſtatis II. qu. VI. decreto, et extr. de uſu pallii ad honorem. Et breviter omnia jura canonica clamant, papam habere plenitudinem poteſtatis; ceteros autem vocatos in partem ſolicitudinis. Nec reperitur jus canonicum vel divinum, quod dicat, hanc plenitudinem eſſe in aliquo ſingulari ſuppoſito vel particulari aut univerſali collegio.

Secunda etiam pars concluſionis probatur, quia

respublica tenetur ad confervationem illius poteftatis, a qua dependet bonum ipfius reipublicae, bonum autem totius reipublicae chriftianae potiffime dependet ex poteftate papae, cujus eft ordinare totam ecclefiam, et gradus et ftatus ejus ergo &c. Et confirmatur ratione naturali, quae fuadet, membra fubfidium debere praeftare capiti, et exercitum debere adminiculari ac fubfervire duci, dicente phil. XII. metaph.: Quod bonum exercitus dependet ex ordine exercitus ad ducem, et ex ipfo ordine unius partis ad aliam, potiffime tamen exercitus ad ducem. Igitur fic etiam in propofito dicendum eft, quod bonum totius ecclefiae feu communitatis chriftianae dependet ex ordine unius partis ad aliam, puta curati ad epifcopum, epifcopi ad archiepifcopum et fic deinceps usque ad papam, praecipue autem bonum ecclefiae dependet ex ordine totius populi chriftiani ad papam, in ordine tantum finali ad ipfum deum propter quod omnis alia poteftas debet adminiculari poteftati papali. Itaque fi contra hanc poteftatem aliqui fubditi etiam principum faecularium vellent refiftere aut infurgere, ipfi principes faeculares debent et tenentur fubjicere et fubjugare eidem. Ex hoc fequitur, quod valde periculofe et graviter errant omnes illi qui poteftati rom. pontificis non folum non adminiculantur et fubferviunt, imo ejus jura et praeeminentiam temere ufurpare, minuere, aut quantumlibet violare praefumunt. Hi enim et innaturaliter agunt et divinae legis praevaricatores exiftunt et Chrifti voluntati ac ordinationi refiftunt, quum fecundum legem naturae membra debent capiti fuccurrere, fecundum vero legem divinam filii tenentur parentibus fubvenire et fecundum Chrifti ordinationem omnes fideles aftricti funt ejus vicario debita obedientiae ac caritatis obfequia humiliter exhibere; unde cum omnis poteftas et fpecialiter haec a deo immediate ordinata et collata fit, qui huic poteftati refiftit dei ordinationi refiftit. Unde illi qui hanc poteftatem fic evacuare nituntur, fe

ad eam non pertinere clariſſime dinoſcuntur, ac per hoc convincuntur aperte non eſſe filii papae, ſed potius ſatanae, nec eſſe membra Chriſti et ejus vicarii, imo verius membra diaboli; nec valet dicere, quod hoc faciant non ad poteſtatem ipſam evacuandam, ſed propter ipſius abuſus tantummodo refraenandum, quum ſicut poteſtas haec immediate dependet a deo, ſic abutentis judicium debet fieri ab eo tantum. Non igitur praeſumat humana temeritas hoc ſibi velle indebite uſurpare, quod ſibi ſoli deus voluit reſervare. Unde merito omnes et ſinguli recognoſcere debent, ſe ſubjectos eſſe huic poteſtati, cui prout neceſſitas exigit, ex debito tenentur adminiculari.

Sed contra primam partem concluſionis hujus objiciunt quidam dicentes, quod cum non ſit minor virtus in toto corpore quam in ejus capite, imo major, cum omne totum ſit majus ſua parte, et papa comparetur ad univerſalem eccleſiam ſicut pars ad totum, quia eſt caput ipſius, ſequitur, quod ſi plenitudo poteſtatis ſit in papa, eadem et major erit in eccleſia univerſali, cujus ipſe eſt pars et caput. Et confirmatur, quia aliqua poteſtas vel auctoritas eſt in eccleſia, quae non eſt in papa, videlicet affirmatio in fide, de qua dicitur, quod eccleſia errare non poteſt, juxta illud Luc. XXII.: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; quod non de fide perſonali Petri dictum eſt, cum ipſe erraverit, ſed de fide eccleſiae, de qua dicitur Matth. XVI.: Et portae inferi non praevalebunt adverſus eam, ſcil. eccleſiam. Unde concludunt ex hoc, non eſſe plenitudinem poteſtatis in papa, cum eccleſia habeat auctoritatem et poteſtatem aliquam, quam non habet papa, videl. ſpeciale privilegium ſingularis auctoritatis, quod in fide non poteſt errare. Sed ad hoc faciliter patet reſponſio. Unde ad primum dicendum, quod licet papa ſit pars et eccleſia totum, non tamen ab hoc eſt poteſtas papae minor poteſtate totius eccleſiae, quia non dependet ab ea, ſed a deo ſolo immediate. Argumen-

tum vero de toto et parte procedit, quando virtus partis dependet a virtute totius. Ad ſecundum dicendum, quod eccleſia ex hoc quod in fide errare non poteſt, non ſortitur poteſtatem vel auctoritatem aliquam, ſed ſpeciale privilegium et donum gratuitum a deo ſibi collatum, alias ſi hoc importaret poteſtatem jurisdictionis quia de tali litera loquimur, ſequeretur, quod quicunque haberet hujusmodi donum vel privilegium, quod peccare non poſſet ſeu in fide errare, haberet ſuper alios judiciariam poteſtatem et auctoritatem, quod manifeſte apparet eſſe falſum. Sed adhuc alii opponunt dicentes, plenitudinem poteſtatis non eſſe in ſolo papa, ſed in univerſali eccleſia et in concilio generali ipſam repraeſentante, diſtinguentes triplicem modum eſſendi in aliquo, et dicendo, quod ſeparabiliter eſt hujusmodi poteſtatis plenitudo in ſummo pontifice, inſeparabiliter in univerſali eccleſia et repraeſentative in generali concilio. Sed quia iſtud non probant, ideo eadem facilitate contemnitur, qua profertur. Alii vero dicunt quaſi ſimiliter diſtinguentes, etiam quod aliquid tripliciter poteſt eſſe in aliquo: 1⁰ tanquam in ſubjecto, ſicut virtus eſt in anima, et accidens in ſubjecto ſubjective; 2⁰ tanquam in objecto, ſicut aliquis effectus dicitur eſſe in ſua cauſa vel in ſuo fine, quia in illum tendit tanquam in ſuum objectum finale; 3⁰ tanquam in exemplo, ſicut res viſa dicitur eſſe in ſpeculo vel aliqua doctrina in libro, quia ibi eſt repraeſentative. Primo ergo modo plenitudo poteſtatis eſt in papa tanquam in ſubjecto ipſam recipiente et miniſterialiter exercente. Secundo modo ſic eſt in univerſali eccleſia tanquam in objecto ipſam cauſaliter et finaliter continente. Tertio modo eſt in generali concilio tanquam in exemplo ipſam repraeſentante et regulariter dirigente. Primum patet, quia papa proprie loquendo eſt miniſter hanc poteſtatem ſubjective recipiens et adminiſtrative diſpenſans, juxta illud Luc. XXII.: Qui praeceſſor eſt in vobis fiat ſicut miniſter ſive miniſtrator.

Secundum patet, quia plenitudo poteſtatis non eſt cauſaliter et finaliter propter papam, ſed papa et ejus poteſtas propter eccleſiam et ad eam ordinatur ſicut ad finem i. e. ad ejus aedificationem, quia ſecundum ſententiam Apoſtoli II. Cor. X. et ult. c. hanc poteſtatem dedit dominus in aedificationem eccleſiae, et non in deſtructionem. Tertium patet ex eodem verbo Apoſtoli, quia ſi papa uteretur hac poteſtate ad deſtructionem eccleſiae, generale concilium eſſet exemplum vel ſpeculum dictam eccleſiam univerſalem repraeſentans et ejus vice et nomine abuſus hujusmodi plenitudinis poteſtatis coercens, regulans et dirigens. Sed in his dictis repugnantia manifeſta apparet, quum ſi in papa eſt ſuprema poteſtas et plenitudo poteſtatis, conſequenter non poteſt eſſe neque in concilio generali neque in aliquo alio, ſic quod papa poſſit coerceri vel ejus poteſtas refraenari ſeu regulari ab ipſo concilio. Tunc enim papae poteſtas inferior eſſet poteſtate concilii et conſequenter non plena neque ſuprema, quia coercio et refraenatio ſeu regulatio majoritatem et ſuperioritatem important reſpectu ejus qui ſic coercetur, refraenatur ſeu regulatur. Unde dicendum eſt, quod proprie loquendo in ſolo papa eſt hujusmodi plenitudo poteſtatis et ſuprema poteſtas, quia tunc plena univerſalis et ſuprema poteſtas proprie dicitur eſſe in aliquo, quando poteſt illam generaliter exercere et miniſterialiter in omnes diſpenſare. Haec autem eſt in ſolo papa et non in aliqua communitate vel congregatione, quia ſecundum philoſ. actiones ſunt ſuppoſitorum. Unde poteſtas eccleſiae ita fuit data per Chriſtum corpori miſtico eccleſiae militantis, et ſic eam voluit ad omnium apoſtolorum officium pertinere, ut in b. Petro apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, teſte b. Leone papa in c. Ita dominus XIX. diſt. Cui concordant ſ. Thomas, Alexander de Hales, et communiter doctores ſ. Theologiae. Con-

cilium autem generale bene poteſt juvare et dirigere papam in uſu ſeu exercitio hujusmodi plenitudinis poteſtatis per viam consilii et aviſamenti, vel hanc directionem poteſt a deo orationum ſuffragio impetrare vel papam errantem admonere poteſt filiali caritate, et ut ſe corrigat devota inſtantia propulſare, non autem in ipſum jurisdictionem aliquam exercere, quia hoc pertinet ſoli deo, cujus eſt immediatus vicarius. Unde non reperitur in tota ſerie ſcripturae ſacrae auctoritas aliqua, ex qua ſane intellecta haberi poteſt, Chriſtum contuliſſe plenitudinem poteſtatis eccleſiae univerſali vel generali concilio, ſed ſoli Petro. Et ſi alicubi reperiretur aliquod dictum hoc ſonans, intelligitur tropice aliquo modo et aequivoce. Nam ex hoc ſequeretur, quod univerſalis eccleſia vel concilium generale poſſet in papam judicium vel jurisdictionem aliquam exercere.

VIII. Conclusio.

Quod poteſtas papalis non dependet a quibuscunque conciliis nec ab univerſali eccleſia neque etiam a tota communitate Chriſtianorum.

Et licet haec concluſio ſatis patere poſſet ex praemiſſis, tamen adhuc confirmatur ratione et auctoritate. Nam conſtat, a nullo poſſe conferri id quod vires ejus vel conditionem excedit, cum nemo det quod non habet. Poteſtas autem papalis ad aliqua ſe extendit, quae omnino humanam conditionem excedunt, ut intromittere ſe de his quae ſunt fori divini, ut culpas quibus deus offenditur, judicare, poenas in foro divino debitas relaxare, ligare et ſolvere in foro conſcientiae, cujus ſolus deus eſt judex et cognitor. Nullus autem ſanae mentis dicet, quod homo inquantum homo poſſit ſe intromittere de his quae ſunt dei, inquantum deus, et per conſequens nec alteri conferre, ut ſe de his intromittat, quae omnia facit papa. Non igitur hanc poteſtatem habet ab homine, ſed a deo.

Praeterea communitas humana ad illa ſe habet ex-

tendere, quae concernunt finem fibi convenientem ratione humanitatis, five inquantum homines funt. Hic autem finis eft humana felicitas pro ftatu praefenti fecundum philof. Unde alicui poteft conferre auctoritatem, ut ipfam regat regulis et legibus ad hunc finem tantummodo convenientibus. Et hinc orta eft regalis poteftas, papalis autem poteftas fuis regulis et praeceptis non tantum dirigit homines in felicitatem praefentem, quae eft vivere fecundum virtutem, fed etiam aeternam, quae a folo deo conferri poteft. Ideo oportet, quod talis non ab hominibus, fed a deo in quem dirigit, oriatur. Et hinc eft, quod Petro primo papae dictum eft, Matth. XVI.: Tibi dabo claves regni coelorum, quas fcil. ego folus dare poffum, et quas ab hominibus haberi non potes, qui folum claves regni terrarum conferre poffunt, fi quid conferre poffe dicantur. Idem etiam patet, fi confideretur modus papalis poteftatis: non eft enim ipfa poteftas principalis, fed poteftas vicaria feu fubdelegata. In nulla autem policia bene ordinata poteftas vicaria confertur a populo, fed ab eo cujus vices gerit ipfe vicarius. Unde non dicimus illos vicarios, quos populi fibiipfis praeficiunt, transferendo fuam jurisdictionem in ipfos, fed dicimus eos dominos, reges, duces vel principes. Ita eft ergo de papa: ficut fi rex tribuat auctoritatem alicui populo, ut de fuis eligant fibi rectores, qui electi tantam habeant poteftatem, quantam eis rex donare voluerit. Tales autem a populo dependent quoad electionem, fed non quoad poteftatem ullam vel jurisdictionem, ut fupra dictum eft. Et fi dicatur contra hoc, quia etiam principes terreni funt vicarii dei, licet aliter papa. Nam principes non funt vicarii dei expreffe et explicite per inftitutionem vocalem et explicitam, nifi fortaffe aliqui reges fuerint praefecti revelatione divina; poffunt tamen dici principes vicarii dei, inquantum deus dedit naturae humanae rationem naturalem per quam poffet judicare, bonum effe aliquam poteftatem effe in

republica, quae praeeſſet omnibus de communitate, et quae poſſet refraenare malos et fovere bonos circa ea quae pertinent ad bonum humanum et finem hominis naturalem; et deus ſic praefectis impartitur ſuum influxum generalem eo modo, quo omnes res movet et juvat in ſuo eſſe et propriis operationibus in varios gradus earum. Petrus autem, cui ſuccedit papa non ſicut ſimplici epiſcopo, ſed ſicut Chriſti generali vicario ſupra totam eccleſiam, factus eſt expreſſe et viva voce vicarius a Chriſto univerſalis et generalis dicente ſibi Chriſto Jo. XXI.: Pasce oves meas. Et ſic patet, quod non eodem modo ſunt vicarii hic et illi, quia hic per ſpecialem inſtitutionem; illi vero per generalem permiſſionem. Unde de quibusdam eorum dictum eſt, Oſeae VIII.: Ipſi regnaverunt, et non ex me, quaſi diceret: Regnare quidem illos permiſi, non intercidendo vel ſubtrahendo illis meum generalem influxum, quo omnia moventur et agunt, ſed tamen ex me non proceſſit ſpecialis eorum promotio effective vel approbative, ſed tantummodo permiſſive. Si autem aliquis dicere vellet, quod pari etiam modo communitas humana poteſt papalem poteſtatem inſtituere ex generali conceſſione divina, dico, quod oſtendenda eſt haec conceſſio vel poteſtatis collatio. Non autem apparet in toto decurſu evangelico, ut dictum eſt ſupra in quinta ratione; de non apparentibus et non exiſtentibus eſt idem judicium. Et iſte punctus etiam tangetur infra concluſione XIV., ubi oſtendetur, quod ſoli Petro et ſucceſſoribus, et non ipſi communitati eccleſiae collata eſt a Chriſto univerſalis poteſtas. Eſt etiam haec Concluſio de mente ſſ. doctorum, praecipue ſ. Thomae, ubi ſupra, ubi dicit, quod papa confert auctoritatem concilio. Si igitur concilium conferret auctoritatem papae, eſſet nugatio et circulatio in cauſa et cauſatis, quod eſt alienum ab omni ratione. Hanc etiam concluſionem docet et probat magiſter Herveus in ſuo libro de poteſtate papae. Eſt etiam per ſſ. canones approbata,

ut ca. Quamvis dift. XXI.: Quamvis, inquit, univerfae per orbem catholicae ecclefiae conftitutae unus thalamus Chrifti fint, tamen f. rom. ecclefia catholica et apoftolica nullis fynodicis conftitutis ceteris ecclefiis praelata eft, fed evangelica voce domini falvatoris noftri primatum obtinuit. Tu es, inquit, Petrus et fupra hanc petram aedificabo ecclefiam meam.

IX. Conclusio.

Quod papa non poteft fuam auctoritatem diminuere vel augere vel illam alteri totaliter fummittere aut illi quomodolibet derogare.

Haec conclufio fatis fequitur ex praecedenti; nam ille folus poteft fuam auctoritatem immutare, qui illam habet a feipfo, non ab alio traditam, quia in re fua quisque quotlibet agere poteft; fed ille qui habet eam ex commiffione alterius, non poteft juridice illam immutare fine injuria committentis, nifi procedat de beneplacito ejus. Praefumitur enim principaliter voluiffe fuum vicarium poteftate fibi tradita uti, non abuti; confervare, non alterare vel alienare. Et hoc dico, nifi in conferendo talem poteftatem etiam contuliffet, quod illam poffet pro libito immutare, quod in commiffione facta Petro non legimus. Et quod papa fuam auctoritatem non poffit alteri totaliter fummittere, patet, quia fecundum jura vicarius non poteft totam fuam auctoritatem in alterum transferre, licet poffit aliquam particularem commiffionem in fui adjutorium alicui facere; quia praefumitur, quod principalis velit ipfum uti fua poteftate prout melius poteft, et ubi aggravatur onere executionis affumere coadjutorem ad aliquam fpecialem caufam. Et hinc eft, quod papa per mundum poteft epifcopos et alterius gradus praelatos inftituere, qui partem folicitudinis habeant, remanente femper apud ipfum plenitudine poteftatis, ut intendit etiam c. e. decreto II. qu. VI. Summittere autem fe alteri vicarius non poteft fine injuria principalis, circa cujus

rem ſit innovatio absque ejus ſpeciali mandato. Non enim illi talem poteſtatem dedit, ut illam alteri daret, quia veriſimile eſt, eum velle ſibi onus et honorem collationis in ſua ſervare; ſed ad hoc dedit, ut dictum eſt, ut illa uteretur ad honorem et commodum concedentis. Unde nec papa poteſt alium papam vel generalem Chriſti vicarium ſubſtituere ratione praedicta. Quod etiam firmant canones, ut extr. de off. vicar. Clericos, ubi habetur ex textu, quod vicarium conſtituere vicarium omnino eſt abſonum et abſurdum; ubi etiam dicit gloſſa, quod in nullo caſu licet vicario alium ſibi vicarium ſubſtituere. Ad idem etiam facit c. Quod translationem extr. de off. lega., ſuper quo idem confirmans gloſſa dicit, quod eſt ſimile, quia licet paterfamilias liberam concedit filio adminiſtrationem, non tamen poteſt alienare ff. de his quae i. frau. cre. Si pater. Item nec donare ff. de dona. Filiusfamilias. Eandem etiam ſententiam tenet Herveus, ubi ſupra. Quod ſi dicas contra, quia papa ſummittit et committit ſe judicio confeſſorum, dico, quod poteſtas confeſſionis ut ſic eſt poteſtas ſacramentalis; papa autem non eſt abſolutus a ſacramentis, quia per ea efficitur ſubjectus deo, qui per ſemetipſum operatur effectum gratiae. Et etiam praeſumendum eſt, principalem, ſc. Chriſtum, hocipſum voluiſſe pro ſalute animae papae. Sicut ſi princeps inſtituat vicarium, quem velit ſibi ſoli eſſe ſubjectum, per hoc non excluditur, quin ipſe vicarius poſſit ſe ſummittere medico. Praeſumendum eſt etiam, ſi non exprimatur, quod princeps velit ſuum vicarium poſſe ſe ſummittere praeceptis medici pro ſalute corporis, ne vicarius ex ſuo officio reddatur deterioris conditionis ceteris ſubditis, ut ſcilicet qui ſolus poſſet infirmari et non ſanari. Nec hoc eſt in prejudicium delegatae poteſtatis vicariae, ſed in adminiculum et ſubſidium; non eſt enim ad alienationem vel diminutionem, ſed ad integritatem et conſervationem. Inſtituens enim aliquid propter finem intelligitur admittere et velle ea

quae ad illum finem faciunt, non tamen quae fini obverſantur et derogant. Ex quibus ſequitur, quod papa ſine praejudicio officii ſibi crediti non poteſt totalem ſuam auctoritatem in concilium transferre ſe illa expoliando, niſi ſuper hoc apparet de principalis domini noſtri Jeſu Chriſti ſpeciali commiſſione et conſenſu. Et hinc eſt, quod dicit Apoſtolus: Poſiti eſtis in aedificationem non deſtructionem, ſc. veſtram, nec aliorum, II. Cor. X., et etiam ultimo capitulis.

X. Conclusio.

Quod ſi papae ſententia vel decretum indigeat retractatione vel correctione, hoc non debet fieri per concilium vel alium quemcunque, ſed per eundem papam vel ſucceſſorem ejusdem.

Et licet haec concluſio ſatis poſſit conſtare ex his quae in II. concluſione dicta ſunt, tamen adhuc roboratur. Nam conſtat, quod ſecundum omnem veram philoſophiam in cauſis et cauſatis, moventibus et motis, non eſt proceſſus in infinitum, ut deducitur ex II. metaph., ſed eſt devenire ad unum primum, quod ſic movet alia, quod ipſum a nullo moveatur. Et ſicut non eſt in ipſis proceſſus in infinitum, ita nec etiam ordinis retrogradatio ita quod moveatur movens a moto. In ordine itaque humanarum rerum, qui ab ordine univerſali totius univerſi, qui eſt ordo intelligentiae et naturae non errantis, non degenerat, ſed illum quantum poteſt imitatur, ſicut ordo partis ordinem totius, in corrigentibus et correctis non erit proceſſus in infinitum, ſed erit venire ad unum primum, qui ſic alios corrigit, ut a nemine corrigatur. Hic autem eſt ille cui a primo ſimpliciter motore et correctore dictum eſt: Tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Hic igitur, etſi in genere ſit corrigibilium, quia homo eſt, et omnis homo mendax, a nullo corrigetur hominum, niſi velimus ordinem retrogradare, et ab ordine univerſi recedere, et habebimus corpus monſtruoſum. Et notanter dico: a

nullo hominum, quia omnes homines ſunt unius generis. Sicut ſi error inveniatur in motu primi mobilis, non ab aliquo aliorum mobilium corrigetur, ſed ab aliquo quod ſit extra genus mobilium, in quo non poſſit error inveniri, ſicut eſt prima cauſa vel intelligentia immobilis movens orbem. Sic igitur, ſi error invenitur in ſententia papae, non ab aliquo defectibilium vel corrigibilium corrigi poterit, cum nunquam inferior poſſit ſuperiorem corrigere. Corrigetur ergo a D. J. Chr., vel a ſeipſo habente virtutem rationis, quae ſupra ſuum actum reflecti poteſt, quam non habet primum mobile, ſaltem formaliter, ſibi unitam. Vel corrigitur ejus ſententia a ſucceſſore, qui tamen id faciet non ut ſuperior, ſed ut idem, quia unius poteſtatis gradus eſt in utrisque. Quod ſi dicas, par in parem non habet imperium, reſpondeo, quod par in parem non habet imperium ligativum, ſed bene correctivum, quia, ut dicit praecedens concluſio: Vicarius non poteſt ligare ſeipſum ſine injuria principalis, quamdiu vult ipſum eſſe liberum; poteſt tamen corrigere ſeipſum. Quinimo hoc praeſumitur eſſe de intentione principalis, qui non debet velle in ſuo vicario errorem permanere, quem poſuit ut errores corrigat ceterorum. Vel poteſt dici, quod hoc non facit ſequens papa ut par, ſed ut idem, ut dictum eſt. Eſt etiam haec concluſio de mente gloſſae i. c. Nemini XVII. qu. IV., quae dicit, quod ſi ſententia papae habet retractari, per ipſum vel ſucceſſorem fiet. Ad idem etiam facit c. ſic omnes XIX. diſt., ubi dicitur, quod ſic reputari debet ſtatutum papae, ac ſi ab ore dei vel b. Petri eſſet prolatum; et c. In memor. ead. diſt., ubi dicitur, quod adimplendum eſt papae mandatum, etiam ſi vix videatur ferendum; et c. Petrus II. qu. VII. et c. Mandaſtis, et c. auditum II. qu. V. Ex quibus habetur, quod papa non neceſſitate, ſed voluntate de objectis ſe criminibus purgat.

XI. Conclusio.

Quod concilium generale non neceſſario nec ſemper eſt illa univerſalis eccleſia, quae dicitur deficere vel errare non poſſe.

Probatur, nam talis eccleſia, quae deficere vel errare non poteſt, ſemper fuit et eſt et erit usque ad conſummationem ſaeculi. Concilia autem non ſemper fuerunt, neque ſemper ſunt, ſed magnis temporum interpolationibus celebrantur. Et praeterea concilia celebrare eſt in poteſtate papae, ut dictum eſt, igitur quod talis eccleſia ſit vel non ſit, eſſet in poteſtate papae, quod dicere eſt abſurdum. Et praeterea hocipſum docuit experientia, quia quaedam concilia leguntur erraſſe, ut concilium Aquilegienſe, quod recuſavit ſuſcipere fidem in concilio Conſtantinopolitano catholice traditam; cui ſe oppoſuit Sergius papa errorem dicti concilii corrigens, ut ponit Vincentius in hiſtoriali libro XXVI. c. XXI. Idem patet de alio concilio Conſtantinopolitano, quod noluit acceptare adorationem imaginum, ſed illam ſub anathemate condemnavit, cujus error poſtmodum per concilium rom. correctus fuit et ipſum concilium condemnatum. In quo tamen fuit notabilis multitudo praelatorum, quia videl. trecentorum triginta epiſcoporum, ut ponit idem Vincentius lib. XXIV. c. CLVIII. et CLXVII. Item de alio concilio rom. ſub Conſtantio caeſare celebrato, in quo fuit injurioſe et injuſte depoſitus Felix papa catholicus et aſſumptus Liberius haereticus, ut ponunt idem Vincentius lib. XIV. c. XI. et XII. et Martinus in cronica. Item de concilio Mediolanenſi, in quo praelati ſubſcripſerunt fidei Arrianae, quorum error a b. Euſebio correctus eſt, ut habetur in ejus legenda. Item de alio concilio rom. ſub praedicto Liberio, qui alio nomine dictus eſt Leo, quod concilium una cum papa aſſentiebat etiam Arrianis, ut refert Joannes de Columna in ſua chron. lib. VII., cui concilio miraculis et doctrina ſe oppoſuit b. Hilarius,

ut patet ex ejus legenda. Item de concilio Ariminensi, quod per canonem condemnatur dist. XV. Jam nunc §. Quae opuscula. De quo etiam concilio refert praedictus Joannes, ubi supra lib. VII. Item, ut refert praedictus Vincentius lib. XXV. cap. LVIII.: Joannes IX. synodum LXXIV. episcoporum Ravennae statuit, ut synodus, quam Stephanus papa contra Formosum fecerat, reprobata fuit. Ex quo manifeste sequitur, quod altera istarum synodorum erravit. Haec etiam conclusio est de mente theologorum, ut magistri Nicolai de Lyra super Matth. XVI. super verbo: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam, ubi dicit, quod talis ecclesia non consistit in principibus vel praelatis, sed in habentibus fidem formatam, qui sc. soli deo noti sunt. Unde manifestum est, quod in casibus praetactis consonum et veridicum erat dicere, ecclesiam dei consistere in illis paucis, qui conciliis se opponebant, non in ipsis conciliis, quae errabant. Hanc etiam conclusionem tenet expresse et ad literam glossa super c. A recta XXIV. qu. prima.

XII. Conclusio.

Quod possibile est quod solus papa sit illa ecclesia quae esse dicitur sine ruga et macula et ejus fides non potest deficere.

Patet, quia talis ecclesia, ut dictum est, consistit in habentibus fidem formatam; fides autem formata potest in solo papa salvari, quemadmodum in sola virgine dicitur salvata fuisse tempore passionis Christi. Unde cum in uno solo talis fides salvari possit, magis verisimile est, quod in illo solo salvetur et firma maneat pro quo, ut non deficeret, Christus oravit dicens: Ego rogavi &c. Luc. XXII. Licet enim ad tempus Petrus a fide ceciderit, ejus tamen fides finaliter non defecit, imo firma permansit usque ad mortem crucis propter efficaciam et virtutem orationis Christi in hoc specialiter operantem. Nam quamvis pro omnibus apostolis et quibuscunque suis fidelibus generaliter Christus ora-

verit, ut ipſemet fatetur Joann. XVII.: Ego pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi &c.; ſpecialiter tamen rogavit pro Petro, cui eccleſiam ſuam regendam commiſerat, vel ſe commiſſuram promiſerat. Unde cum majori eſſet officio poteſtatis et dignitatis praeditus et conſequenter majoris curae onere preſſus, merito a Chriſto erat majori orationis ſuffragio et adjuvantis gratiae beneficio confovendus. Cum enim aliquis a deo vocatur ad aliquod officium vel miniſterium, infunditur ſibi nova gratia et confertur efficax adjutorium, quo mediante poſſit hujusmodi officium debite exercere, niſi ipſe ponat obicem, ut notatur per doctores ſuper pſalm. Dominus illuminatio mea. Et quanto magis eſt dignitatis officium, tanto majoris gratiae adjutorium adhibetur. Unde cum Petrus et quilibet ejus ſucceſſor ad ſupremae dignitatis apicem in eccleſia aſſumantur, ſi non ponant obicem majus ceteris adjutricis gratiae beneficium conſequuntur. Ex quo ſequi videtur, quod magis facile et veriſimile eſt, unumquemque alium deviare et a bonis moribus et a fide quam papam, poſtquam, niſi ponat obicem, ſpecialius ſibi deus aſſiſtit, ut dictum eſt.[1]) Non tamen obſtante aliqui ſummi pontifices tam in fide quam in moribus graviter erraſſe leguntur.

XIII. Conclusio.

Quod minus dubitandum eſt de errore vel defectu fidei in papa vel eccleſia rom. quam in ſynodo vel concilio, et hoc ſpecialiter capiendo papam formaliter prout papa.

Et probatur concluſio, quia de illius defectu minus eſt dubitandum, pro quo, ne deficiat, Chriſtus oravit. Hoc autem non eſt concilium, ſed papa vel rom. eccleſia, ut patet per doctores et poſtillatores ſ. ſcripturae

1) Wie ſich Turrecremata dieſs denkt, hat er ſchon oben II. concluſ. ausgeſprochen: Eodem quoque modo tempore bb. Euſebii Vercellenſis, Hilarii et Martini confeſſoris ipſi fere ſoli catholici erant ceteris fere omnibus praelatis et clericis Ariana peſte infectis.

ſuper illud Luc. XII.: Ego rogavi &c. Super quo magiſter Nicolaus Gorra dicit, ut non deficiat fides tua i. e. eccleſiae tibi commiſſae, quam in ea Petrus plantavit. Item dom. Hugo cardinalis vel quaedam gloſſa marginalis in poſtilla ſua ſuper eodem paſſu ſic habet argumentum pro rom. eccleſia, Naum pri.: Non adjiciet ultra, ut pertranſeat in te Belial. Item mag. Nicolaus de Lira ſuper verbo praedicto: Ego rogavi &c., hoc dicitur ei ſc. Petro eo quod eccleſiia ſibi erat committenda, ut habetur Joann. ult., ubi ter dicitur Petro: Paſce agnos meos. Ex hoc patet, etiam fidem non deficere usque ad conſummationem mundi, potiſſime in eccleſia rom., quae a Petro ap. poſt Chriſtum fundata eſt. Haec ille. Hoc idem confirmat Hieronymus dicens, quod fides rom. eccleſiae ſemper ſine macula fuit et erit usque ad conſummationem ſaeculi. Facit etiam ad hoc, quod dicit Petrus de Palude in tractatu de poteſtate eccleſiae art. IV., videl. quod auctoritates rom. pontificum in cauſa propria ſecundum veritatem ſunt efficaciores, ſi attendamus illud verbum Chriſti ad Petrum pro ſe et ſua ſede, Luc. XXII.: Ego rogavi etc. Ex quo habetur, quod rom. eccleſia in fide errare non poteſt, [1]) nec de ejus fide dubitare licet, ſed in omnibus eſt ſequendum. Unde ipſe s. Ambroſius in omnibus ſequi magiſtram s. rom. eccleſiam profitetur XXII. diſt. Omnes i. ſi.

XIV. Conclusio.

Quod illud verbum Chriſti, Math. XVI.: Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris &c., dictum eſt Petro ut ſingulari perſonae, non ut univerſalem eccleſiam repraeſentanti.

Probatur, nam conſtat, quod idem eſt, cui dicitur:

1) So die Incunabel; wahrſcheinlich gehört aber nach der ſonſtigen Beweisführung Turrecremata's „finaliter" dazu. Denn abgeſehen davon, dass er eine ſolche Folgerung aus dem Vorausgehenden nicht machen kann, widerſpricht ſie nicht nur dem ganzen Eingang dieſer Concluſio, ſondern auch Concluſio 2, 10, 12 und dem folgenden III. Theil punctus III.

Tu es Petrus, ut super hanc petram &c., et cui dicitur: Tibi dabo claves &c., et ex ſerie textus patet. Is autem, ſuper quem fundatur eccleſia eſt perſona ſingularis, et non univerſalis eccleſia, quia tunc idem aedificaretur ſuper ſeipſum, et idem eſſet fundamentum et fundatum, quod non capit ratio. Igitur et ille cui conferuntur claves, eſt etiam perſona particularis, et ut particularis recipit illas, cum poteſtate tamen generali et univerſali. Nec tamen per hoc excluduntur ſucceſſores Petri, qui, ut praedictum eſt, accipiuntur uuum cum Petro eo quod ſunt unius poteſtatis, in quibus quadam continuatione perdurat perſona Petri. Praeterea non magis inconveniens eſt, ſolum Petrum esse clavigerum eccleſiae, quam ſolum Petrum eſſe fundamentum ejusdem, cum magis dependeat aedificium a fundamento, quam a ſera vel clavi. Cum igitur voce Chriſti ſolus ipſe ſit fundamentum, juxta communiorem expoſitionem doctorum ſolus ipſe erit claviger univerſalis, et hoc dico, quia poteſt illas particulariter conferre alteri vel aliis in partem ſolicitudinis quoad aliquam gentem vel patriam, remanente ſemper apud eum plenitudine poteſtatis, qua poteſt clavibus uti circa quamcunque perſonam cujuscunque loci vel patriae alteri deputatae, ita quod ipſi habet immediatam jurisdicttionem super omnes homines cujuscunque dioceſis. Et ea poteſt uti ad libitum, quando et ubi vult, privando etiam ſi ſibi videbitur, vel suspendendo ex causa illos quibus tales claves contulerat ſaltem quoad usum et exercitium illarum, et per seipsum illis utetur. Hoc etiam approbat usus eccleſiae, quae solum Petrum depingit cum clavibus, quia ſi alii apoſtoli cum Petro claves accepiſſent, ut quidam volunt, etiam cum illis pingi debuerunt. Solus igitur cum illis depingitur, non quia solus habeat, sed quia solus eas habet fontaliter et primitive. Alii vero rivaliter et dirivative quia videlicet tantum habent epiſcopi et inferiores de poteſtate clavium, quantum in illis a papae beneplacito

derivatur. Et hinc eſt, quod ligata et limitata eſt poteſtas epiſcoporum infra certos caſus, ultra quos ſe non extendit eorum poteſtas. Sed in illis aliquos ligandos vel ſolvendos remittunt ad ſummum pontificem. Confirmatur concluſio auctoritate cano. ut per c. In novo teſtam. XXI. diſt., ubi dicitur ſic: In novo teſtamento poſt Chriſtum dominum a Petro sacerdotalis coepit ordo, quia ipſi primo pontificatus in eccleſia datus eſt dicente domino ad eum: Tu es Petrus &c. Item etiam in ſequ. cap. Et per c. alior. IX. qu. III., ubi in medio capituli dicitur, uni dictum eſt: Tu es Petrus &c., et in multis canonibus ſimilis ſententia invenitur. Item gloſſa ordinaria Math. XVI. super verbo: Tu es Petrus, ſic habet: Qui prae ceteris confeſſus eſt, ei prae ceteris donantur claves. Sicut ergo ſolus dixit: Tu es Chriſtus filius dei vivi, quae fuit Petri confeſſio, ita ſolus claves a Chriſto ſuscepit. Quod ſi dicas, quod in hoc quod dicit prae ceteris intelligitur, quod etiam ceteris tunc Chriſtus contulerit; dico, quod pariformiter haberes dicere, quod etiam ceteri confeſſi ſunt, ex quo prae ceteris confeſſus eſt; quod tamen falsum eſt. Si autem dicas, quod ipſe prae ceteris confeſſus eſt, ita etiam dico, quod prae ceteris claves accepit i. e. ut aliis conferre poſſet. Eſt igitur verus ſenſus: sicut solus inter ceteros confeſſus eſt, aliis tacentibus, ita solus inter ceteros claves accepit, quas tamen aliis donare posset. Item alia glossa, quam adducit s. Thomas, ſuper eodem passu sic habet: Ideo enim eum principem apoſtolorum conſtituit, ut eccleſia unum principalem Chriſti haberet vicarium, ad quem diverſa membra eccleſiae recurrerent, ſi forte inter ſe diſſentirent; quod si diverſa capita essent in ecclesia, unitatis vinculum rumperetur, quae verba bene attendenda ſunt in iſta materia. Item mag. Nicolaus Gorra in poſtilla ſuper Math. tractans hunc passum dicit, hanc poteſtatem ſcil. clavium habet omnis eccleſia in epiſcopis eſt ſacerdotibus ſicut dicit Hieronym. Sed ſin-

gulariter dictum est, scil. quia hanc alii habent ex derivatione plenitudinis potestatis, quae fuit in Petro et est in successoribus ejus qui soli vocantur in plenitudinem potestatis, ceteri vero in partem solicitudinis. Item Origines super eodem, unde quantam potestatem habet petra, supra quam aedificatur ecclesia, ut etiam judicia ejus maneant firma quasi deo judicante per eam, ecce manifeste dicit eamdem esse petram supra quam fundata erat ecclesia et cui Christus tradidit potestatem clavium. Illa autem Petra erat solus Petrus, ergo soli Petro potestatem judiciariam dedit. Item Cyrillus, vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de seipso intelligentiam, hic enim promittit illi se daturum quae sunt propria dei solius; ubi adverte, quod Cyrillus non dicit, illam promssionem factam esse ecclesiae vel concilio, sed personae Petri. Et confirmantur omnia praedicta per c. Omnes dist. XXII, Omnes, inquit, sive patriarchae cujuslibet apicem sive metropoleon primatus aut episcopatuum cathedras vel ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit rom. ecclesia. Ipse vero solus illam fundavit et supra petram fidei mox nascentis erexit, qui b. Petro, aeternae vitae clavigero, terreni simul et coelestis imperii jura commisit. Non ergo quaelibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est coelum et terra, quo deinde omnia condita sunt elementa rom. fundavit ecclesiam; et illius certe privilegio fungitur et auctoritate fulcitur. Unde non dubium est, quia quicunque cuilibet ecclesiae jus suum detrahit, injustitiam facit; qui autem rom. ecclesiae privilegium ab ipso summo omniumque ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur. Et cum ille vocetur injustus, hic est dicendus haereticus; fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quae mater est fidei, et contumax est ei qui eam cunctis ecclesiis praetulisse cognoscitur. Haec ibi. Ex qua auctoritate colliguntur tria: 1) quod omnes gradus et dignitates in ecclesia instituit ecclesia

rom., non prout ecclesia rom. accipitur pro universali ecclesia, quia sic idem instituerit seipsum; sed accipitur specialiter pro sede Petri vel principe ejus. 2) quod ipsa rom. sedes est instituta verbo divino, non humano. 3) quod qui derogat isti sedi est censendus haereticus. Quod bene advertere debent quidam moderni qui hujus contraria dogmatisant, qui viderint, quomodo possint ab haeresi esse immunes. Isti enim volunt dicere, quod Christus in verbis praemissis sine distinctione aliqua graduali tradidit claves et jurisdictionem universali ecclesiae et Petro, scil. uni de ecclesia et non magis aliis, sed aequaliter omnibus; et quod ex illis verbis non fuit collatus Petro principatus super alios, sed postea habuit ex consensu apostolorum, qui omnes jure divino erant sibi aequales. Et ita etiam habent dicere in statu praesenti, quod omnes ecclesiae et omnes sacerdotes sunt aequalis potestatis et jurisdictionis de jure divino, tanquam qui immediate a deo, quod habent, acceperint; sed quod ecclesia rom. primatum aliquem habeat super alios, hoc habet jure humano et consensu hominum, quem etiam consensus hominum pariformiter tollere et transmutare potest, et primatum ecclesiae rom. tradere alteri ecclesiae et ad hoc etiam de facto nituntur: quae sententia, quantum dissona sit rationi et dictis sanctorum et aliorum doctorum et canonum patet intuenti praemissa ac etiam quae sequentur.

Objectio.

Quia tamen inveniuntur aliqua dicta, super quibus potest dictus error fundari, bonum erit hic illa ponere et eorum verum tradere intellectum. Et 1) occurrit, quod scribit Augustinus i. l. de fide ad Petrum: Poenitentia, inquit, pectori tunc prodest, si eam in ecclesia catholica gerat, cui deus in persona b. Petri ligandi solvendique tribuit potestatem. Ecce, quod dicit claves datas ecclesiae in persona Petri, ergo ipsa ecclesia

fuit, quae tunc claves accepit. Sed eſt advertendum, quod multis modis poteſt aliquis agere vel pati in perſona alterius. Uno modo per modum procurationis, ſicut miles capit inveſtituram alicujus caſtri a rege in perſona scutiferi ſui, quem ſuum legitimum procuratorem mittit ad regem pro dicta inveſtitura ſuscipienda, cui rex anulum inveſtiturae confert loco militis abſentis, et tamen de poteſtate domini dicti caſtri nihil adquiritur ipſi ſcutifero, ſed tota transfertur a rege in militem in perſona tantum procuratoris. Sic etiam quandoque quis capit uxorem in perſona alterius inſtituti procuratoris ad promittendum et deſponſandum. Et hoc modo non eſt dicendum, quod eccleſia ſuscepit claves in perſona Petri niſi vellemus dicere, quod Petrus in ſe non habuit poteſtatem clavium, nec fuit epiſcopus neque papa; nec potuit ſolvere nec ligare per ſeipſum, ſicut neque hujusmodi procurator, quod nimis eſſet abſurdum. Secundo modo recipit quis aliquid in perſona alterius per modum ſucceſſionis, ſicut filii militis in praedicto caſu mortuo patre retinent jurisdictionem ſuper homines dicti caſtri. Et hanc quidem ſuscipiunt a rege non in perſona propria, ſed in perſona patris, quem rex pro ſe et ſucceſſoribus ab eo descendentibus inveſtivit, et ita filii filiorum, donec rex talem collationem vel inveſtituram revocet, vel proprius in caſu quo pater in perſona propria, ſicut ſaepius fit, talem a rege inveſtituram ſuscepiſſet pro ſe tamen et haeredibus. Et iſto modo ſuscipiunt claves a Chriſto ſucceſſores Petri in ſede pontificali rom., qui papae vocantur. Quibus quidem non fit nova collatio clavium a Chriſto, ſed illas eoipſo quo legitime electi ſunt ſuscipiunt a Chriſto in perſona Petri. Non ſic autem eſt de aliis epiſcopis qui non ſunt Petri ſucceſſores ordinarii, ſed collaterales et coadjutores voluntarie aſſumpti ad opus miniſterii paſtoralis, ſicut ipſe miles et filii ejus judices balivos et ceteros officiales ad ſubſidium regiminis poſſunt aſſumere, qui tamen

quicquid auctoritatis habent non a rege, sed ab ipso domino castri suscipiunt. Ideo juramentum fidelitatis praestat miles regi, officiales autem non regi, sed militi, sicut et episcopi domino papae; papa autem nonnisi regi Christo fidem debet et subjectionem. Et ideo sicut miles talis potest officiales instituere et destituere, potestatem eorum ampliare et restringere prout sibi videbitur pro bono terrae suae, ita papa erga inferiores praelatos. Tertio modo dicitur quis aliquid suscipere in personam alterius per modum derivationis, sicut multitudo stellarum recipit lumen a deo in persona solis, si sic loqui liceat, non faciendo vim in vocabulo, quia sol lucem habet immediate a deo, sic tamen, quod cum virtute et potestate illam in alia luminaria transfundendi. Et ita etiam multitudo ecclesiarum et praelatorum suscepit claves a Christo in persona Petri, quia accipiente claves Petro recepit illas cum potestate in alios, ut sibi visum fuerit, transfundendi, in partem tamen, non in totum, ut supra dictum est; et ita omnis potestas ecclesiastica derivatur a papa sicut a fonte spiritualis luminis. Et hoc est quod dicere voluit Augustinus in verbis praemissis. Et quod haec fuerit sententia Augustini, videlicet quod sic ecclesia in persona Petri suscepit claves non aequali societate, sed remanente in Petro fontali et originali potestate, patet per illud quod idem scribit in sermone de apostolis Petro et Paulo, qui sic incipit: Fortis et humilis, ubi sic dicit: O mira potentia et inaestimabilis gratia salvatoris! Quis plebeum piscatorem apostolorum facile crederet principem regibus obsistere, reges sanctificare, regnis omnibus imperare, mundum fraenare legibus, daemones calcare sub pedibus, jubere virtutibus, coelum hominibus aperire, cum vellet, claudere, cum liberet, immortale regnum conversis donare, negare perversis, merita mundi cognoscere, culpas et crimina hominibus relaxare? O inaestimabilis et immensa potestas, hominem in terra positum tenere coe-

lum! Ecce nunc ad nutum Petri divini verbi claustra patescunt! Accepit enim a Chrifto claves regni coelorum, ut folutis vinculis delictorum aperiret credentibus coelum. Haec ille. Ex quibus verbis fatis claret, Auguftinum fic velle loqui de Petro ut de perfona particulari, non ut de ecclefia univerfali. Sic enim aliqua ex his Petro, quae non aliis conveniunt, ut illud: plebeum piscatorem, quia alii non fuerunt omnes plebei nec piscatores; item illud: apoftolorum principem, quia non omnes poffunt effe principes, quia et fi alii apoftoli principes fuerunt, non tamen principes apoftolorum, quia fic unus effet princeps alterius, et econtra, quod effet confufio et non ordo. Et ex hoc verbo princeps fatis innuitur habitudo Petri ad alios apoftolos; princeps enim importat rationem principii; principium autem importat rationem influxus et causalitatis. Oportet ergo intelligere, Petrum habere rationem principii influentis et causantis aliquid in apoftolos, quod non effet fi, ut ifti volunt, omnes apoftoli immediate suam auctoritatem haberent a Chrifto. Sic enim Petrus erat eorum frater et focius, non princeps. Item illud: regnis omnibus imperare, quia alii folum uni regno vel provinciae imperare habent, ipfe vero omnibus. Quodfi dicatur effe aequaliter principes mundi et per indivisum omnibus regnis imperare, fequetur confufio principatuum et peffima orbis confufio fecundum philos. i. ult. metaph. Item illud: mundum fraenare legibus quia ceteri fingulas partes mundi, Petrus ipfum univerfum fraenare habet. Similiter adduci poffet contra praedictam conclufionem XIV. illud Auguftini in alio Sermone de apoftolis, qui incipit: Iftum nobis diem, ubi fic habetur: D. Jefus discipulos fuos ante paffionem fuam ficut noftis elegit, quos apoftolos appellavit, inter quos paene ubique Petrus folus totius ecclefiae meruit geftare perfonam, propter quam enim perfonam, quam totius ecclefiae folus geftabat, audire meruit: Tibi dabo claves regni coelorum &c. Has

autem claves non homo unus, ſed unitas accepit ecclesiae. Haec ille. Ecce, quod dicit: non homo unus, ſed unitas, eccleſiae, ergo non perſona ſingularis prout dicit concluſio; ſed dicendum, quod verum eſt, quod non homo unus tantum ſic quod nullus alius praeter ipſum, unus tamen ſic quod nullus niſi per ipſum, ſicut et de ſole dici poteſt, quod ſolus accepit lucem; quia ſolus fontaliter, non tamen ſic ſolus, quin alii planetae acceperunt rivaliter, ut in tertio modo accipiendi dictum eſt. Et quod haec ſit intentio Auguſtini patet, quia alias fruſtra Auguſtinus vocaret Petrum principem, niſi ſuper alios influxum haberet et principii rationem. Principii dico, de principio tamen, sed non ſui generis sc. deo Chriſto; ſicut fons eſt principium rivorum, de principio tamen Oceani, unde primam originem sumit, quod tamen non eſt in genere fontium, et tamen quicquid humoris vel aquae habent, ab Oceano illud habent in perſona fontis, ut dictum eſt. Et eſt ſimile ac ſi diceremus, quod ſolus dux belli capit ſtipendium a rege sc. primarie et antecedenter; ſed conſequenter capit ſtipendium unitas et univerſitates exercitus, ſic tamen quod per manum ducis et in perſona ejus omnes accipiunt.

Item contra eandem concluſionem adducere poſſunt id quod habetur XXI. diſt. In novo, ubi ſic habetur: hanc ergo poteſtatem ligandi atque ſolvendi Petrus primus accepit a domino primusque ad fidem populos virtute ſuae praedicationis adduxit verboque inſtituit, ceteri vero apoſtoli cum eo pari conſortio honorem et poteſtatem acceperunt ipſumque principem eorum eſſe voluerunt; qui et jubente domino in toto orbe disperſi evangelium praedicaverunt ipſisque decedentibus in loco eorum ſurrexerunt epiſcopi. Ad quam auctoritatem quantum ad verbum voluerunt poteſt patere reſponſio ex his quae in VI. concluſione dicta ſunt, addendo aliam diſtinctionem ſecundum Herveum, et bene valet, quod verbum volo importat quandoque cauſali-

tatem, ut ſi dicam: feci quod rex voluit, quia ſua voluntas fuit causa, quod ſic feci. Quandoque importat complacentiam et approbationem, ut volo quod rex vult vel facit i. e. approbo, non contradico, ſed mihi placet. Et ita apoſtoli voluerunt, Petrum eſſe principem eorum, non quia ipſi fuerunt cauſa hujus principatus, ſed ſcientes, ipſum ſibi collatum a Chriſto, de hoc non reclamaverunt, ſed laudaverunt et in facto ipſo complacuit illis, quod a domino factum erat. Quo vero ad ver. pari conſortio, per quod videtur excludi principalitas in Petro, ſolvit gloſſa ſuper eodem verbo, quae dicit, quod iſta paritas eſt intelligenda quoad ordinem et rationem conſecrationis, non quoad jurisdictionem. Et hoc modo etiam ſolvit s. Thomas i. IV. ſent. diſt. XIX. qu. I. ar. III. tractans illud Math. XVI.: Quorum remiſeritis etc., ubi dicit, quod apoſtoli tunc non jurisdictionem, ſed caracterem ſusceperunt, ut infra patebit. Sunt etiam aliqua quae adduci poſſent, quibus hic error fundari videtur, quae hic causa brevitatis non pono, tamen quaedam principalia ex his adhuc infra ſolventur. Quibus videlicet videtur probari, Chriſtum per ſeipſum non per Petrum contulisse apoſtolis omnibus immediate auctoritatem jurisdictionis; ex quo volunt quidam arguere, concilium generale habere immediate auctoritatem a Chriſto.

Ad quae omnia praeter ea quae dicta ſunt, poteſt alia et una eſſe reſponſio: Quod videlicet, ſuppoſito, quod ita eſſet, non ſequitur, quod moderni epiſcopi et alii eccleſiarum curati, qui ſuccedunt apoſtolis et discipulis, sive disgregati ſive congregati ſumantur, habeant ſuam auctoritatem immediate a Chriſto. Cujus ratio eſt, quia Chriſtus pro ſtatu praeſentis vitae fuit ſolus papa et ſummus ſacerdos, et ideo ad ipſum ſpectabat conferre per ſeipſum ſi volebat hujusmodi jurisdictionem et in hoc praefixit formam futuris vicariis ſuis, ut videlicet ſicut ipſe conferebat per ſeipſum hujusmodi poteſtatem, ita poſt ascenſionem ſuam vicarius

ſuus in quo plenitudo ejus poteſtatis remanebat, ſimiliter per ſeipſum illam conferret in partem ſolicitudinis, ubi et quando et cui vellet, virtute tamen a Chriſto ſibi conceſſa. Et ideo mortuis illis, quibus ipſe Chriſtus per ſeipſum hanc poteſtatem contulerat prout iſti volunt, quod tamen non concedimus, niſi tantum de poteſtate characteris, ut infra patebit et etiam ſupra dictum eſt, oportuit, quod loco illorum non Chriſtus, ſed ejus vicarius alios ſubſtitueret. Et ſic remanet pariformitas inter Chriſtum quoad hoc et ejus vicarium, quia uterque velut ſol ſuper alios radios ſuae poteſtatis expandit. Quod ſi ſecus eſſet, jam non eſſet Petrus generalis Chriſti vicarius, ſed tantummodo localis, quemadmodum et alii epiſcopi ſecundum iſtos, quod dicere tam abſurdum eſſet, quam et novum. Sic igitur ſecundum veritatem omnis ordo et gradus dignitatis eccleſiaſticae dependet immediate a papa, ſicut et ſecundum iſtos totus ordo apoſtolicus a Chriſto. Si autem quis vult videre aliqua dicta doctorum per quae videtur poſſe dictus error aſtrui, poteſt recurrere ad Herveum in praememorato tractatu de poteſtate papae, ubi veritatem quam hic tenemus, potenter defendens, omnium incontrarium facientia ad plenum disſolvit, licet ibi non proſequatur de poteſtate papae in comparatione ad concilium, ſed per comparationem ad epiſcopos et curatos, lucide impugnans errorem eorum, qui papae poteſtatem diminuentes inferiorum praelatorum poteſtatem augere nitebantur, loco cujus erroris inolevit modus alius, qui a priori in hoc differt, quia illud quod illi aſtruere volebant de praelatis disperſim ſumptis, iſti aſſerere nituntur de praelatis congregatim ſumptis, quorum rationibus et fundamentis per ſequentia respondebitur.

Decisio quaestionis.

Ad quaeſtionem igitur respondendo dicitur quod, prout ex praemiſſis colligi poteſt, generalis concilii et

papae non eſt alia et alia poteſtas, ſed una, una dico, non unitate ſuppoſiti, ſed unitate ordinis et dependentiae, ſicut omnium ſtellarum et ſolis non eſt aliud et aliud lumen, nec alia et alia virtus activa ſimpliciter, niſi forte ſecundum quid videlicet ſecundum eſſe, non ſecundum eſſentiam, quia lumen planetarum originem habet a ſole, ut hic ſupponitur ſecundum philoſophos. Et ſicut omnium fontium una eſt aqua ſecundum eſſentiam, inquantum ab uno principio maris descendunt, licet ſecundum eſſe alia eſt calida, alia frigida, ſecundum eſſe quod habet in eo in quo ſuscipitur. Cum etiam ſecundum Albertum lumen primae cauſae in omnibus cauſatis eſt unum ſecundum eſſentiam, licet varium ſecundum eſſe, eſſentiam dico ſpeciei, non generis ſeu analogiae: ſic ergo et totius concilii, quinimo et totius eccleſiae eſt una poteſtas ſecundum eſſentiam modo praedicto, licet ſecundum eſſe in gradus varios diſtinguatur. Et adhuc eſt major unitas iſta, quam unitas aquae vel luminis, quia varietas quae invenitur in ſtellis vel in fontibus, non provenit ex parte principii, vel eorum originis, cum illa agant ſecundum naturam; ab uno autem agente ſecundum naturam non eſt niſi unum, ut tradit philoſophorum ſchola. Sed haec varietas procedit ex parte receptaculorum luminis vel aquae, quae ſunt diverſa ſecundum proprias naturas, non agentibus hanc diverſitatem ſole vel mari, ſed ipſo creatore utputa quia alia ex ipſa prima creatione eſt natura Mercurii, alia Saturni, lumen ipſorum habet aliam et aliam virtutem; et quia una pars aquae tranſit per meatus ſulphureos, induit formam caliditatis, alia per meatus mere terreſtres retinet frigiditatem. Et ſic varietas in iſtis procedit ex varietate ſubjectorum. In gradibus autem eccleſiaſticis tota varietas dependet ex parte principii ſcil. ipſius papae, quia eſt agens non ſecundum naturam, ſed ſecundum voluntatem, et prout ratione determinavit varias dignitates et varios gradus ordinis et jurisdictionis inſtituit et

quibus voluit illos applicavit determinatis perſonis, hunc creando cardinalem, illum patriarcham, hunc archiepiscopum, illum epiſcopum, illum ſimplicem ſacerdotem. Sicut ergo ſecluſo lumine ſolis et ſecluſo influxu Oceani nullum erat lumen planetarum et nulla aqua rivorum vel fontium, ita secluſa papae poteſtate nulla eſt poteſtas concilii. Si quam ergo habet, habet una cum papa, inquantum papa illi ſuam impartitur. Et hoc eſt quod voluit Origenes ſuper illud: Paſce oves meas, Joa. XXI., ubi ſic habet: Praeteriens autem alios dominus Petro de talibus loquitur, eximius enim apoſtorum erat Petrus et os diſcipulorum et vertex collegii. Quae verba bene notanda ſunt, per hoc enim, quod dicit Chriſtum alios praeteriiſſe, conſtat, Petro prae aliis aliquod contuliſſe; per hoc quod dicit ipſum eximium apoſtolorum oſtenditur, apoſtolos non fuiſſe illi coaequales, et ſi ſanctitate vel ordine, non tamen jurisdictione; per hoc quod dicit ipſum os apoſtolorum, oſtenditur, ipſum eſſe per quem ceteri acceſſum habent ad Chriſtum; per hoc quod dicit, ipſum eſſe verticem collegii, patet, Petrum praeeminentiam habere nedum ſuper ſingulos de collegio ſeorſum ſumpto, ſed etiam ſupra ipſum collegium primatum habere; vertex enim ſive caput dicitur ſecundum influentiam ad membra. Influentia autem non poteſt intelligi niſi per derivationem poteſtatis ſecundum quam poteſtas collegii a poteſtate Petri derivetur; ſicut poteſtas et vigor totius corporis a capite quo absciſo deperditur omnis corporis poteſtas. Ex quibus patet, non bene conſiderate fundatam opinionem eorum, qui dicunt, quod licet concilium quoad ſui inchoationem dependeat a papa, tamen concilium inchoatum auctoritate papae habere ſuam auctoritatem plenariam non dependentem a papa, quia illam, ut dicunt, jam evacuare non poteſt. Et iſti non advertunt cum Origene, quod cauſalitas Petri ſupra collegium vel papae ſupra concilium non eſt cauſalitas artificis ſupra artificatum, quod non de-

pendet ab opifice, nisi secundum fieri tantum, sed est causalitas naturalis capitis in membra, quae quidem de sui natura est continua continuum influxum habens quoad totum esse rei, ita quod interrupto tali influxu interrumpitur esse corporis, ut patet ad sensum. Unde isti volunt facere papam mechanicum vel civitatis-tubicinem, qui convocatis civibus ad concilium clauditur extra aulam. Sic est igitur papa concilii caput, quod quandocunque contingat ipsum concilium non vocare vel vocatum non confirmare vel confirmatum dissolvere, aut recessu corporali aut subtractione virtuali remanet ipsum concilium acephalum, cujus tantum valent operationes, quantum corporis mortui vel capite privati valere possunt. Ex quibus omnibus relinquitur quaestio pro parte affirmativa vera videl., quod sicut unius corporis naturalis suo capiti uniti una est forma totius, licet sint plures formae partiales et per consequens una virtus utriusque, ita quod nulla est actio vitalis in corpore nisi per aliquem influxum capitis, sic in corpore mistico una est virtus a deo mediante capite infusa, quo reciso, ut dictum est, nulla remanet vitalis virtus in corpore.

Ad rationes in oppositum.

Nunc igitur restat respondere ad argumenta in principio facta pro parte negativa. Ad primum ergo quo in contrarium arguebatur, patet responsio ex his, quae in II. conclusione dicta sunt. Ad secundum dicendum, quod non eoipso quod papa concilium convocat et confirmat seipsum concilio subjicit, quin potius convocat, ut illi praesit. Non enim ad hoc convocat, ut sit alia actio sui, alia concilii, sed ut totius corporis sit una actio. Et hoc non facit ex necessitate, sed ex decentia, quia quicquid potest papa cum concilio, potest sine concilio, cum, ut praedictum est, sua potestas, cum sit potestas vicaria, nullam dependentiam habeat a concilio, sed ab eo a quo vicariatum sortitur.

Decenter tamen et rationabiliter concilium convocat propter quatuor: 1⁰ ratione consultationis, cum videl. aliqua ponderosa diffinienda occurrunt, in quibus ex multorum sapientum concilio sanior pars capi possit. 2⁰ ratione impetrationis sive orationis, ut videl. dominus multiplicatis intercessoribus largiatur, quae ecclesiae viderit expediri; quia ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum. Et si duo ex vobis consenserint de omni re quamcumque petierint, fiet vobis, Matth. XVIII. 3⁰ ratione approbationis, licet enim papa per seipsum, maxime de concilio dd. cardinalium possit omnem legem condere, ut praedictum est, tamen salubre et utile est, ut hujusmodi leges, quae bonum ecclesiae universalis concernunt, in concilio tractentur et promulgentur, ut quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Sic enim facilius leges suscipiuntur et libentius executioni mandantur. 4⁰ ratione commemorationis: multi enim oculi vident, quae paucis non occurrunt, unde licet in d. papa sit plenitudo jurisdictionis, non tamen ex hoc est in eo plenitudo cognitionis, maxime in his quae in facto consistunt praesertim propter varias et multas occupationes suas quotidie occurrentes. Et ideo possunt esse multa ordinanda, reformanda et corrigenda in diversis partibus mundi, quae ad ejus notitiam non sunt delata, quae tamen sunt nota illis, qui in illis partibus degunt. Et ideo salubre est, quod de singulis partibus conveniant maxime praelati, qui ista melius nosse et cogitasse debuerunt, quorum singuli exponunt in concilio d. papae, quae exponenda videntur, super quibus d. papa sacro concurrente concilio provideat de legibus et remediis opportunis. Et notanter dico concurrente, non approbante; approbare enim proprie loquendo pertinet ad superiorem, unde si in aliquibus decretis conciliorum inveniatur papam aliquid statuisse sacro approbante concilio, capitur ibi approbare improprie, prout supradictum est de velle, prout dicere-

mus, quod humilis familia approbat, quae pater ordinat i. e. complacenter acceptat et bona esse judicat. Et hujus rei expemplum dedit Christus, cum daturus legitur evangelica saltem quoad moralia praecepta convocatis discipulis ascendit in montem, non quin absque illis posset leges condere sicut et lex vetus per solum Moysen a deo accepta populo tradita est. Et ideo non sine causa ait: Jugum meum suave est, quia sc. vobis audientibus et non reclamantibus traditum. Et harum causarum duas primas tangit Herveus. Etiam s. Thomas non dissentire videtur. Ad tertium dicendum, quod non est simile. Multum enim advertendum est inter species dominationum, ut praedictum est, quia aliqua dominia sunt, quae totaliter dependent a voluntate et potestate subditorum, qui talem dominum eligentes ei talem vel tantam auctoritatem contulerunt, quam ei transsilire non libet, et ita se facturum in introitu dominii spondet et jurat in quibusdam terris. Et isto modo Roma multo tempore fuit gubernata et vocabant hunc statum libertatis, quia populus non arcebatur legibus ad nutum principum, sed illis tantum quas ipsi statuissent, pro quo statu conservando multum laborarant patres et probi Romani. Et in tali communitate cum quis sine tali libera electione usurpat sibiipsi dominium, tunc licitum potest dici ipsi communitati vel alicui ex suppositis non zelo privati commodi vel odii, sed reipublicae boni gratia illum de communitate ejicere, vel si aliter fieri non potest occidere, quia talis reputatur hostis, non dominus, cujusmodi erat ille Caesar, de quo Tullius loquitur. Secus autem est de communitate, quae regitur domino, cujus dominium ab ipsa communitate non dependet, sed ab aliquo superiore simpliciter ipsa communitate; qui ipsam non decernens regere per seipsum praeficit loco sui, quem voluerit vel quem ipsa communitas elegerit. Cujus electio ab ipso principali approbatur vel consequenter, ut cum pro singulo electo confirmationem

petit vel antecedenter, ut cum ſtatuit, quod electus eo facto habeat ſuam auctoritatem vel quam ſibi dare voluerit. Super quem tamen non habet ipſa communitas poteſtatem corrigendi, deponendi vel occidendi, ſed ut praedictum eſt, debet habere recursum ad ipſum dominum principalem. Qui ſi, non obſtante evidentia mali regiminis vel etiam malignitate proditionis et fidei violationis, velit talem pati vicarium, debet etiam ipſa communitas illum pati, potius quam mittere manum in meſſem alienam, in hominem scil. non ſuae jurisdictioni ſubjectum. Quod ſi aliquis dicat, quod iſtud poſſet fieri, ſi Chriſtus eſſet praeſens corporaliter, videat, ne illum faciat mendacem qui dixit: Ecce ego vobiscum usque ad consummationem ſaeculi. Et ſi enim in altis habitat, tamen humilia respicit, omnia videns, omnia audiens, omnia prospectans. Et ſicut inviſibiliter manet usque ad tempus, ita inviſibiliter operatur; et eo magis ad ipſum haberi recurſus poteſt quo ad hoc non indigemus motu noſtro corporali, ſed tantum mentali ſine labore et impensa. Communitas ergo hominum in caſibus, qui totam eccleſiam tangunt, prius ipſum papam aviſare, informare et exorare habet, non in ipſum temerarie manum vel linguam imponere, utpote in quem nullam jurisdictionem habet. Et ideo advertant qui dicunt, quod papa per electionem eccleſiae ſuam ſortitur auctoritatem. Si enim lit. per importat cauſalitatem, falſum eſt; ſi vero concomitantiam, verum eſt, quia ſic electus divina lege eo facto a Chriſto ſummam poſt ipſum ſortitur poteſtatem, ut ſupra dictum eſt in II. concluſione. Et quod haec ſolutio ſit etiam de mente s. Thomae, qui pro argumento allegatus eſt, patet per illud quod scribit ſupra IV. ſentent. diſt. XIX. qu. II. art. II. ad III. qu. ad II., ubi de correctione fraterna loquens ad noſtrum propoſitum de praelatis dicit, quod quando praelatus non habet ſuperiorem et non acquiescit correctioni caritativae ſive admonitioni, debet haberi recurſus ad deum, ut

ipſum illuminat vel de medio tollat, et ſic reducitur ad concordiam, quia quod dicitur in II. ſentent., intelligitur de domino, cujus dominium a communitate dependet; quod autem in IV. intelligitur de eo qui vicariam poteſtatem habet, cujusmodi eſt papa, ut dictum eſt.

Ad quartum dicendum, quod ſecundum sanctorum expoſitiones Chriſtus eſt in medio congregatorum in nomine ſuo per orationum exauditionem, non per jurisdictionis collationem, quia ſic oporteret dicere, quod in omni congregatione juſtorum esset auctoritas Chriſti infuſa, dispoſitiva circa ordinationem eccleſiae, quod nimiam confuſionem induceret, cum talium ſocietatum non ſit numerus. Quinimo etiam eſt advertendum, quod non omnis petitio talium exauditur, utputa ſi aliquid petant, quod unitati eccleſiae non conveniat, ut dicit Auguſtinus ſuper eodem verbo. Et ideo concilium quantumcunque numeroſum, ſi machinetur ad ſcindendam unionem eccleſiae et schisma inducendum, non glorietur, ſe Chriſtum habere in medio ſui, quin potius videat, ne habeat adverſarium unitatis et pacis.

Ad quintum quod de Paulo inducitur, dicendum ſecundum d. Petrum de Taratasia (ſic) in poſtilla ſuper illo passu, quod ſubditi poſſunt praelatum peccantem arguere zelo caritatis, non officio poteſtatis. Sanctus etiam Thomas tractans eundem paſſum in II. II. qu. XXXIII. art. IV. diſtinguit de duplici correctione, quia quaedam eſt actus caritatis, et hac correctione poteſt papam corrigere quicunque illum diligit ex caritate; quaedam vero eſt actus juſtitiae, videl. per punitionem vel poenae inflictionem, et hac non poſſunt ſubditi, ut ipſe dicit, praelatos corrigere. Sic igitur Paulus correxit Petrum, oſtendendo rationem ſui erroris, non ipsum deponendo vel ab officio ſibi a Chriſto collato ſuspendendo, ut patet ex textu; et ſic poteſt concilium et debet errorem papae arguere, oſtendendo rationibus vel auctoritatibus, ipſum male ſentire in fide vel mori-

bus, ſed amplius non habet concilium, quid faciat niſi quod quilibet praelatus poteſt et debet oves ſibi commiſſas cautas reddere, et imponere illis, ut deum orent cum apoſtolis dicentes: Domine ſalva nos, perimus &c. Nec erit quovismodo desperandum de ſubſidio a Chriſto praeſtando prout per multa exempla patet in II. concluſione.

Ad ſextum dicendum, quod non ſine miſterio dixit Chriſtus Petro: Quodcunque ligaveris &c. et poſtea dixit apoſtolis ſimiliter: Quaecunque ligaveritis &c. Ex hac enim duplici commiſſione vel conceſſione innuitur, quod duplex eſt auctoritas ſive poteſtas abſolvendi a peccatis, una ordinis, alia jurisdictionis. Poteſtas quidem ordinis eſt aequalis in Petro et apoſtolis et in omnibus ſacerdotibus, unde in conſecratione ſacerdotum dicuntur illa verba: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et ideo cum Chriſtus dixit omnibus ſimul: Quaecunque ligaveritis &c., tunc tradidit seu promiſit illis poteſtatem ordinis tantum; quando autem dixit Petro: quodcunque ligaveris &c. et: tibi dabo claves regni coelorum, tunc promiſit illi poteſtatem jurisdicttionis univerſalis et indiſtinctae. Ita videl. quod Chriſtus intendebat, quod alii apoſtoli non uterentur poteſtate ordinis ab ipſo tradita ad nutum, ſed voluntatem et ordinationem Petri, quibus etiam ipſe tribueret jurisdictionem particularem et diſtinctam, utputa ſuper hanc gentem vel illam, ut Jacobo Jerosolymis, Marco Alexandriae et ſic de aliis, reservata tamen ſibi indistincta jurisdictione quoad omnes. Et haec eſt ſententia s. Thomae ſuper IV. ſentent. dist. XIX. qu. I. art. III. in corpore et in reſponſione ad primum. Et bene notanda ſunt, quae ibi dicit pro iſta materia. Et ita modo licet omnes ſacerdotes et episcopi habeant hanc poteſtatem ordinis equalem papae, tamen nullam auctoritatem habent utendi illa, niſi quando et ubi papa vult eos uti. Et hinc eſt, quod ſacerdos non eo quod ſacerdos poteſt ſtatim ligare vel ſolvere, ſed remanet

poteſtas ligata, donec placeat papae vel cui papa concedit, ut episcopis et ordinariis. Et hinc eſt etiam, quod ipſe inſtituit, transfert, unit et dividit parochias et dioeceſes prout vult et jurisdictionem inferiorum reſtringit et amplificat, confert et privat, nec eſt qui dicat, quare ita facis, ut ſupra allegatum eſt. Sic igitur dico, quod ſicut collegium apoſtolicum non habuit jurisdictionem, niſi quam Petrus illis contulit, ut ex doctrina s. Thomae clare colligitur, ubi ſupra, ita collegium vel concilium praelatorum nullam habet poteſtatem jurisdictionis, niſi quam papa illis confert. Si quam ergo habet, habet una cum papa, modo ſuperius declarato. Mirum enim videtur et vanum dicere, quod collegium episcoporum aliquid habeat immediate a deo, quod non habuit collegium apoſtolorum. Quod ſi quis adhuc arguat contra, ut quidam arguunt, quia capitulum vacante ſede episcopali habet auctoritatem episcopi ante electionem, ergo poſt electionem adhuc retinet illam radicaliter vel eſſentialiter licet ſecundum actum transferat illam in electum. Igitur a ſimili collegium cardinalium vel ipſum concilium habet in ſe radicaliter auctoritatem papalem. Dico, quod non eſt verum, quod capitulum habeat auctoritatem episcopalem, etiam vacante ſede. Non enim poteſt ordinare vel conſecrare nec beneficia conferre vel alienare quae proprie pertinent ad episcopum, licet in caſu neceſſitatis tantum pro ſalute animae poſſit abſolvere a vinculo excommunicationis a praedeceſſore illatae, ut patet tam in textu quam gloſſis extra ne ſede vac. c. II. et c. his qu. extra de majori et obed. Auctoritatem etiam et jurisdictionem capit episcopus electus non a capitulo, ſed a papa, dum confirmat electionem a capitulo factam, quam poteſt approbare et reprobare. Et per hoc patet reſponſio ad objecta. Et haec ſunt quae dicenda occurrerunt circa propoſitam quaeſtionem.

SECUNDA PARS TOTIUS TRACTATUS.

Sed quia his quae ſuperius determinata ſunt et praeſertim II. concluſioni quaedam decreta in conciliis Conſtantienſi et Baſileenſi edita obviare videntur, quibus nonnulli inhaerentes aſſerunt pro certo, quod papa nedum in caſu fidei, ſed etiam in caſu cujuslibet notorii criminis ſubjicitur judicio generalis concilii, ita quod concilium in papam poenaliter et privatorie poteſt procedere tanquam ejus judex habens immediate auctoriatem a deo. Idcirco pro majori veritatis elucidatione hujusmodi eorum aſſertionis ſeu ſententiae bonum eſt aperire motiva ſeu fundamenta, ut ſecundum ipſorum pondus et ipſa ſententia ponderetur. Etenim nuper in XII. Baſileenſis concilii ſeſſione videntur ad hujusmodi ſententiae aſſertionem tria fundamenta comperiſſe et reperta promulgaſſe. I. fundamentum, quia Chriſtus, inquiunt, deus noſter, cum in Jerusalem pergeret, opus noſtrae redemptionis impleturus et Petrus eum prohibere vellet, compescuit ipſum dicens: Vade poſt me, Sathana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis, quae dei ſunt, ſed quae hominum. Ex quo videntur velle arguere, quod ſicut b. Petrus fuit correptus, ita et ſucceſſor ejus poſſit et debeat corrigi, ubi non ſapiat, quae dei ſunt, ſed non poteſt corrigi melius ab aliquo, quam a concilio, igitur &c. Sed hujus fundamenti debilitatem ſatis admiror. 1° quia Petrus tunc nondum erat papa, nec fuit in vita Chriſti ſecundum ſtatum praeſentem, ſed poſt reſurrectionem, cum ſibi dictum eſt: Pasce oves meas, et ſi per antea hujus paſtoratus auctoritas illi fuiſſet promiſſa. 2° quia etiam ſuppoſito, quod tunc eſſet verus papa, potuit juridice a Chriſto corrigi ſicut vicarius a principali, et officialis a domino. Non autem ſic eſt de concilio reſpectu papae. Non enim concilium dat eſſe papae, ſed econtra papa concilium convocat et facit ipſum quodammodo

de non ente ens, et de nihilo aliquid. Nihil autem recipit esse ab aliquo et dat esse eidem, praesertim cum, ut dictum est in conclusione, papa non convocet concilium ut praeco populum, sed ut pastor ovile. 3⁰ quia ex hac auctoritate non plus potest haberi, quam quod papa potest corripi et increpari quod non negamus nedum de concilio, sed neque de qualibet persona particulari, dummodo ex caritate tantum, non praetensa tamen jubendi vel prohibendi auctoritate. 4⁰ quia non est omnino notum, quod tanta fuerit Petri reprehensio, quantum praetendunt. Nam b. Hilario non videtur bene consonum, quod Christus, postquam tantum commendaverat et beatificaverat Petrum, statim post vocaret eum Sathanam. Sed secundum ipsum in ipsa locutione sunt duo versiculi, quorum primus dirigitur Petro, cui dicitur: Vade post me i. e. sequere potius me ad passionem, non me retrahas ab eadem. Alius dirigitur diabolo cui dicitur: Sathanas, scandalum mihi es, qui scil. me a passione vis retrahere, suggestione videl. immissa in Petrum. Unde hic potius secundum Hilarium fuit exacerbatus diabolus, quam Petrus. Sed etiam dato secundum quod cummuniter exponitur ab aliis, quod tota locutio feratur in Petrum, nihilominus nihil facit ad propositum propter rationes praemissas.

II. Fundamentum sumunt ex hoc quod b. Paulus, cum vidisset b. Petrum apostolorum principem circa observationem legalium reprehensibilem fore et non ambulare ad rectitudinem evangelii, restitit ei coram omnibus in faciem et a simulatione, in quam alios deducebat, veritatis zelo repressit. Haec sunt verba sessionis praedictae. Ad quod licet satis posset patere responsio ex his quae supra in responsione ad quintum argumentum dicta sunt. Ipsa tamen sua verba se solvunt. Cum enim inquiunt veritatis zelo, bene dicunt: hoc enim modo et Paulo et cuilibet licuit et licet, Petrum vel Praelatum suum arguere, videl. ostendendo

rationes pro elucidatione veritatis, per quas evitetur error falſitatis. Sic autem fecit Paulus, et patet in textu, ubi ſubinfert: nos enim natura Judaei scientes, quod &c. Gal. II. Non enim hoc fecit Paulus praetenſae officio poteſtatis, cum eſſet quoad officium poteſtatis et jurisdictionis inferior Petro, licet par illi eſſet ſecundum aliam gloſſam quoad officium magiſtratus, quia unus magiſter legis, alter magiſter et doctor gentium, ſicut exponit s. Thomas. Super quo etiam dicit Auguſtinus, quod in hoc Petrus Paulum audiendo dedit exemplum ſucceſſoribus non dedignari, sicubi a via rectitudinis deviarent, ab inferioribus corrigi, correctione scil. quae eſt actus caritatis, non quae eſt actus juſtitiae, ut dicit s. Thomas, quae tantummodo ad ſuperiorem pertinet. Quod ſi quis objiceret de verbis Chriſti poſt doctrinam de correctione fraterna dicentis, Math. XVIII.: Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiae: dicerem, quod verba illa intelliguntur de eo, qui habet eccleſiam i. e. praelatam eccleſiaſticum ſibi ſuperiorem; in eo autem, qui non habet ſuperiorem, non habet locum, ſed eſt recurrendum ad deum, ut ſupra dictum eſt. Poteſt tamen interim talis praelatus a ſubditis haberi ſicut ethnicus et publicanus in his tantum quae non ſunt jurisdictionis, quia illa non aufertur a vicario propter quodcunque crimen, quamdiu a principali domino ſustinetur. Quo vero ad poteſtatem ordinis tenendum eſt, quod jura decernunt de ordinationibus haereticorum, ſi videl. papa cenſeatur haereticus, ſuper quo me non extendo. Quia tamen ſaepe facta eſt mentio de poteſtate jurisdictionis, voco hic jurisdictionis poteſtatem juxta nominis interpretationem poteſtatem jus dicendi obligatoriam ad aliquid agendum vel non agendum ſtatuendo vel ſententiando. Pro cujus intellectu sciendum, quod aliquem dicere jus vel juſtum, poteſt contingere dupliciter: uno modo ſine quacunque obligatione, ſicut doctor in scolis, et de iſta jurisdictione non loquimur; alio modo cum

obligatione, ſicut rex dicit jus in ſolio vel tribunali judiciario, cujus ſtatutum obligat ad aliquid agendum vel non agendum. Et jus dicitur vel juſtum quod ipſe ſtatuit. Et habetur pro juſto ille quem ſententiando abſolvit, et pro reo quem condemnat. Et ſic papa etiam haereticus retinet hanc poteſtatem, niſi nobis conſtet divinitus per certam revelationem vel evidens miraculum, illam ſibi ablatam eſſe ab eo, qui illam ſibi contulit. Unde quicquid interim ipſe ſtatuit vel ſententiet, dummodo non laedat ſuo ſtatuto vel ſententia jus naturale vel divinum, pro jure vel juſto tenendum eſt.

III. Fundamentum ſumunt ex hoc, quia, ut dicunt, eccleſia catholica ſaepenumero ſummos pontifices ſive a fide delirantes ſive pravis moribus notorie eccleſiam scandalizantes correxit et judicavit. Neque ubi de fidei periculo aut scandalo chriſtianae religionis agebatur, Rom. pontificibus pepercit. Haec ſunt verba ſeſſionis praedictae. Sed quia hoc fundamentum conſiſtit in facto, ad facta vadamus, et invenietur, non eſſe omnino veritate fulcitum. Nam ſi adducatur in medium Marcellinus, certum eſt, quod hic non concilii, ſed ſuiipſius judicio ſententiam recepit. Nam, ut etiam ſupra dictum eſt, concilium cognito errore ejus dixit: Abſit ut a nobis ſummus pontifex judicetur; ore tuo te judica. Qui Marcellinus reſpondit, ob idolatriae scelus me judico deponendum. Quae tamen depoſitio executionem habuiſſe non legitur, ſed bene legitur, quod ipse converſus ad rectam rationem a Decio imperatore infideli capitalem ſententiam accepit. Si vero adducatur fortaſſe Felix, quod ſub Conſtantio depoſitus ſit, videant, quod hic non quia haereticus, ſed quia haereticis communicare nolebat, ab ipſo Conſtantio favente erroneo illo rom. concilio in exilium miſſus eſt, cui Liberius haereticus ſuggerente eodem non in Spiru s., ſed in ſpiritu diabolico congregato concilio ſubſtitutus eſt. Qui tamen Felix ſanctus et catholicus et verus Chriſti

vicarius, licet humana rebellione depositus pro fidei catholicae defensione, a qua concilium deviabat, sacrum martyrium capitis obtruncatione suscepit, remanente ipso Liberio cum his qui eum supra Petri cathedram sedere fecerant in damnato illo Arrianorum errore, ut refert Martinus in sua chronica. Si autem adducatur forte Constantinus II., etiam a concilio depositus, videant, quod hic non fuit canonice electus, sed tyrannica et violenta invasione papatum usurpaverat, ut in ead. chron. Martini. Et ideo non mirum, si non pastorem, sed lupum vel furem fugarunt a gregibus. Quod etiam, si de novo fieret, esset certe laudandum. Hic enim non agimus de intrusis, quia eo facto papae non sunt, sed de his qui non per posticum, sed per hostium intrant ovile. Si adducant Christoferum depositum, videant, quod hic etiam non electus, sed incarcerato vero papa temerarie pastoralem sibi virgam assumpsit, ut in ead. chron. Sed adduci potest unus cujus exemplo fortasse sine evasione inniti se credant, videl. Joannes XII., qui ob lubricam vitam et scandalosos mores a concilio depositus legitur, et Leo illi substitutus. Sed legant, quod aliud sequens concilium romanum illud Ravennate concilium condemnavit et reprobavit. Nam ut refert Vincentius lib. XXV. c. LXXXVI., in hoc videl. romano concilio publicum omnium judicio fuit statutum, synodum a Leone habitam, in qua scil. ipse Leo assumptus fuerat, Joanne deposito, non nominandam synodum, sed prostibulum. Et ab ipso Leone ordinati fuerant degradati vel deordinati et jussi etiam praesentari singuli in carta scripturam hanc: pater meus, scil. Leo, qui eos ordinaverat, nihil sibi habuit, nihil mihi dedit, et addit idem Vincentius, quod istud secundum concilium reassumpserat Joannem. Sed tamen quia ipsius vita erat detestabilis et christiano populo scandalosa, non diu passus est J. Chr. talem vicarium et pastorem oves inficere. Sed postquam concesserat illi tempus ad poenitentiam, cum in peccato suo per-

ſeveraret contra ipſum tanquam ejus immediatus et principalis dominus et qui ſolus in eum poteſtatem haberet ſe volens oſtendere ſui tremendi judicii ſententiam tulit. Nam dum cum meretricula ſine dei timore oblectaretur, ſubito divina vindicta percuſſus in tympora ſine poenitentia expiravit, ut idem Vincentius refert. Quo mortuo aſſenſu omnium praefatus Leo eligitur et in ſede Petri canonice collocatur. Quo in facto Chriſtus ſatis ipſo opere demonſtravit, quod praelati potius debebant ſuam ſententiam expectare patienter, quam habentes zelum sine scientia et impatientes divinae juſtitiae sciſſuram in corpus ſuum inducere et in dominicam meſſem ſine juſſu domini ſervilem manum imponere, advertentes, quod patiens retributor eſt dominus juxta ſententiam ſapientis. Et hi ſunt quos de papatu ejectos in communibus chronicis inveni, quorum depoſitio quantum propoſitum arguat prudens lector dijudicet. Invenio tamen alios non a conciliis, ſed vel a tyrannide imperatorum, vel a protervia et inſolentia Romanorum a papatu ejectos, a quibus exempla nullatenus ſumenda ſunt, cum ab aliis quae praeter juris ordinem fiunt, non ſunt juris exempla trahenda. Si qui autem papae poſt compilationem chronicarum, utputa Martini et Vincentii Beluacenſ. depoſiti ſunt, mihi non conſtat. Etiam et ſuppoſito, quod ita eſſet, non ſtatim conſtat, utrum potius de facto quam de jure hoc proceſſerit. Quod ſi dicat aliquis, quod non propter haec fundamenta intendit concilium, ſuam ſententiam robur habere, dicendum, quod ſi ſic ſaltem haec tacuiſſent, quia potuiſſet credi, quod inniterentur aliquibus ſecretis et inviolabilibus fundamentis. Et praeterea hoc excluditur per eorum verba in eadem XII. ſeſſione, quae ſic habent: his exemplis et rationibus haec ſancta ſynodus excitata habens a deo auctoritatem animadvertendi in eos qui ipſam non audierint, ammodo in dictum d. Eugenium acrioribus remediis, ubi leviora non valuerint, pro-

cedere decrevit. Ex quibus verbis ſatis patet, quod proper ipſa quae dicta ſunt fundamenta talem ſententiam promulgarent. Sed revera fortiora ſecundum apparentiam inducere potuiſſent, quae ſupra tamen inducta in quaeſtione et ſoluta ſunt. Melius igitur ut videtur ſalva eorum pace attendiſſent, quod ſi videatur periculoſum unius capitis judicio totam eccleſiam gubernari. Et quod ex hoc ut dicunt conſurgere poſſunt multa mala populo chriſtiano. Conſideraſſent tamen ex alia parte, quod ſic fuit divina voluntas, quae cuncta non ſine certa ratione decernit, quae nec paſſa eſt usque in praeſens ſub tali unius regimine ſtabilitatem fidei eradicari. Quod non ſensui unius vel multorum asscribendum eſt, ſed ut ait propheta: miſericordiae domini, quod non ſumus conſumpti, quia ut praemiſſum eſt, divina providentia ſemper ſuae eccleſiae ſuccurrit, licet ad tempus illam agitari permiſerit. Quod beneficium pro maximo reputantes debent potius divinam clementiam collaudare, quam ejus ſacrum ordinem quo nedum terreſtria, ſed etiam coeleſtia cuncta ſub unitate concludit temerarie immutare; cantareque debent potius non ore tantum, ſed ſpiritu cum pſalm.: Benedicite gentes deum noſtrum et auditam facite vocem laudis ejus, qui poſuit animam meam ad vitam. Et ſunt verba eccleſiae ſecundum gloſſam: qui poſuit, inquam, animam meam ad vitam i. e. praedeſtinavit ad vitam gloriae praeveniente vita gratiae; et non dedit commoveri pedes meos, ſcil. a ſtabilitate fidei, quia ſi aliqui digiti commoti ſunt a fide et caritate oberrando, tamen pedes ipſi ſtabiles ſteterunt, et si perturbati vel agitati fuerint, quia videl. eccleſia, quae continet eccleſiaſticos ſicut pedes digitos, nunquam fuit totaliter commota, et ſi fuerit quandoque agitata, hoc permiſſum eſt a deo ad probationem. Unde ſubditur: Quum probaſti nos igne haereſium et perſecutionum, et examinaſti ſicut examinatur argentum, quod videl. igne non conſumitur, ſed probatur et purgatur: in-

duxiſti nos in laqueum non deceptionis, ſed expiationis; poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro auxietatum et afflictionum; impoſuiſti homines non angelos qui errare non poſſent, ſed homines defectibus ſubditos, ubi gloſſa Auguſtini: Patimur plerumque ſuperiores, quos videmus nobis deteriores; hos tamen patienter propter reverentiam tui ordinis ſupportantes. Hos, inquam, poſuiſti ſuper capita noſtra, non poſuiſti nos ſuper capita ipſorum, ſed ipſos graves poſuiſti ſuper capita noſtra, propter quod tranſivimus per ignem perſecutionum et schismatum et aquam malarum doctrinarum et scandalorum; ſed tandem deduxiſti nos in refrigerium eccleſiae tuae, pace et tranquillitate reſtituta. Attendendum etiam, quod videmus ſummum pontificem non recte, ut vellemus, in moribus ambulantem, potius debemus nos ipſos emendare, quam contra divinum praeceptum diis detrahere dicentes cum Neemia c. IX.: Quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, nobis dominantur ſecundum voluntatem suam, et in tribulatione magna poſiti ſumus. Quam etiam auctoritatem ad iſtud propoſitum adducit d. Hugo cardinalis ſuper pſal. praealleg. Nam ſecundum b. Gregorium plerumque malos paſtores deus praeponit et patitur propter ſubditorum culpas: regnare enim facit hypocritam propter peccata populi, ut ait Job XXXIV. Sed quidam ſunt, qui aliena peccata, maxime praelatorum ſemper judicant, propria parum ponderantes, qui ſi ſeipſos corrigerent, non dubium, quod de correctis praelatis dominus provideret. Unde etiam firmiter ſperandum ſecundum normam s. scripturae, quod ſi episcopi et alii praelati qui nituntur de ſummo pontifice facere clericum, de magiſtro discipulum, de patre filium, de domino ſervum; denique de capite membrum illius defectus molientes corrigere, ſeipſos ante divinos oculos juſtos et immaculatos redderent absque tantis eorum laboribus, litigiis et impenſis divina providentia illis ad juſtum nutum eorum de ſummo pontifice pro-

videreret, dicente pſal.: Non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ne forte extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas, longa videl. mali paſtorum perpeſſione et malorum exemplorum diutina correptione. Quod ſi dicatur, quod iſta ſententia ſive aſſertio eſt omnino inconcuſſe tenenda, cum fuerit in dictis conciliis decreta, reſponderi poteſt, quod, ut dictum fuit ſupra in concluſ. XI. concilium generale non ſemper eſt illa eccleſia quae errare non poteſt, cum nonnulla concilia erraverunt, quorum errores per ſummos pontifices vel alia concilia poſtmodum fuerunt correcti. Unde non eſſet novum, ſi iſta concilia erraſſent. Et ſi dicatur, quod D. Martinus acta in concilio Conſtantienſi approbavit, reſpondeo, quod video oppoſitum per effectum. Nam ſi bene attendantur rescripta ſua, quibus praeſidentes loco ſui Papienſi et Senenſi conciliis deputavit, dat ipſis praeſidentibus et conciliis auctoritatem circa reformationem eccleſiae in ſuis membris tantum [1]), et cetera agendi, quae non derogant ejus ſtatui et honori propter quod ſatis oſtendit intelligere volentibus, quod ipſe non tenebat ſe eſſe concilio ſubditum prout dicta decreta ſonant, et hoc eſt ſatis per effectum illa non approbare. Utrum autem per legem contrariam illis derogaverit, mihi non conſtat, licet in hac parte factum papae pro lege haberi poſſit. Non autem absque ammiratione vidi aliter scriptum in rescripto D. Eugenii, quo concilium Baſileenſe ſe proſequi velle et caritate amplecti confitetur; in quo committit ipſi concilio reformationem ec-

1) Dies iſt durchaus unwahr. Statt «reformationem eccleſiae in ſuis membris tantum» heisst es in der Bulle: «reformatione ſtatus eccleſiaſtici in omnibus membris ſuis». Jeder Vernünftige ſieht, dass hier der Papſt eingeſchloſſen iſt, da er doch ein Glied der geiſtlichen Hierarchie iſt. Card. Jul. Ceſarini in ſeinem II. Briefe an P. Eugen IV. (Opp. Aeneae Sylvii p. 79) ſagt, dass er zu Baſel nach P. Martins Auftrag die Facultas hatte «reformandi mores cujuslibet ſtatus Chriſtianitatis», was er gleich darauf für identiſch nimmt mit «reformatio eccleſiae in capite et in membris».

clesiae tam in capite quam in membris. Quod fortasse provida quadam simulatione actum vel dictum est ad contentandum animos insolentium et scandala evitanda. Utrum autem minus malum foret secundum Augustinum, ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur, Suae Sanctitati judicandum relinquo. Simulatio enim Petri pastoris Pauli doctori displicuit. Christus etiam dominus Pharisaeorum scandalum non metuens ait Matth. XV.: Sinite eos, caeci sunt et duces caecorum. Timendum est enim valde pastoribus, ne dum erga subditos nimium servatur humilitas regendi, frangatur auctoritas, ut ait Augustinus. In januis enim periculum mihi videtur, ne adversarii qui Rom. sedis culmen pro viribus nituntur deprimere, ex his verbis cornua sibi sumant eaque sinistre interpretantes dicant: praefatum D. Eugenium hoc dixisse non facti humilitate, sed juris necessitate; et ex hoc postmodum alii in consequentiam trahant, omnino papam esse concilio subditum. Et sic de cetero papa erit in conciliis non caput, sed digitus. Et breviter dico, salvo semper judicio melius sapientis, quod meo judicio multa in utriusque horum conciliorum decretis ponuntur, quibus si non obvietur, possunt de facili multae novitates insurgere et plurima mala et scandala generari, et tandem paulatim Rom. sedis auctoritas a D. J. Chr. collata ab hominibus evacuari, quia, uno inconvenienti dato, multa sequuntur. Ideo videtur necessarium, quod data dei nutu optata pace ecclesiae summus pontifex de concilio dd. cardinalium, convocato ad hoc competenti numero doctorum tam sacrae paginae quam decretorum diligenter examinaret utriusque concilii decreta. Et quae essent confirmatione digna, utpote ss. doctorum, theologorum, ss. canonum et veterum conciliorum dictis et sententiis consona confirmarentur. Et notanter dico veterum conciliorum, non enim est novum, quod concilium concilio dissentiat. Sed ubi in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius con-

cilii debet teneri ſententia, cujus antiquior et potior extat auctoritas ut l. di. dominus sancto i. ſi. Quae vero invenirentur praedictis non conſona vel contraria, improbarentur vel ſaltem ad ſanum intellectum reducerentur. Quia etiam iſta ſententia, videl. quod papa ſubſit correctioni, etiam poenali concilii, poſſit ſana intelligi, hoc modo videlicet quod intelligatur de concilio, cui papa ſponte et voluntarie, non violentia vel angaria ſuam auctoritatem interpoſuit quoad ipſius principium, medium et finem, quia tunc, ut dictum eſt, concilii et papae una eſt poteſtas, et tunc ſanus intellectus erit. Quod concilium non prout diſtinctae poteſtatis a poteſtate papae, ſed ut ejusdem ex communicatione scil. ejusdem papae poteſt ipſum papam corrigere; ſic quod papa tenetur non neceſſario, ſed de congruo ſententiam vel poenam taxatam ſibi per concilium acceptare; ſicut etiam princeps obligatur ex quadam decentia obſervare legem, quam ipſemet ſtatuit, juxta illud: Patere legem quam tuleris ipſe. Et tunc quoad rem, ad id venit, ac ſi dicatur: quod papa cognito errore ſuo per oculos ſuos, qui ſunt ſapientes concilii, corrigit ſeipſum. Et ſic etiam concordabuntur jura, ſi quae in hac parte inveniuntur contraria, et nullum inconveniens ſubſequitur, niſi forte quod ſupra in pede quaeſtionis in arguendo poſitum eſt, videlicet quod ubi papa nolit ſuum errorem cognoscere, ſequetur periculum totius eccleſiae. Ad quod licet ſuperius ſatis reſponſum fuerit, tamen adhuc advertendum eſt, quod prout dicit Anaxagoras: in humanis adinventionibus nihil ex omni parte beatum ſeu perfectum eſt, quia ut dicitur Sap. IX.: incertae ſunt providentiae noſtrae: — et ideo non poteſt aſſignari aliqua ſpecies regiminis in humanis, quae aliquod periculum annexum non habeat, ſed inter mala minus malum eligendum eſt. Sunt enim ſecundum Ariſtotelem tres regiminis ſpecies, videlicet monarchia in qua unus multitudini principatur; ariſtocrachia in qua pauci

potentes principantur, tymocrachia in qua multi ex plebeis dominantur. Quarum specierum primam optimam ponit. Et non est praesumendum, quod philosophus non bene consideravit, quod unus principans faciliter potest degenerare a bonis moribus et de virtuoso fieri vitiosus et de rege in tyrannum converti; et tamen, his inconvenientibus non obstantibus, tenet monarchiam esse optimam regiminis speciem. Et ideo non mirum, si aeternae sapientiae fons D. J. Chr. hoc ipsum advertens ecclesiae suae hunc modum regiminis dereliquit, solum videl. Petrum illi praeficiendo. Nec debemus hoc pro injuria suscipere quod nobis pro munere magno conferendum propheta in spiritu sancto praedixit, ubi ait: Suscitabo super vos pastorem unum, Exech. XXXIV. Et pastor unus erit omnium eorum, Ezech. XXXVII. Quae promissio secundum gloss. fuit impleta in D. J. Chr. et continuabitur usque in finem per ejus vicarios, nisi ingratitudo humana illam abjiciat, et de monarchia aristocrachiam vel timocrachiam faciat, sicut videntur optare contraria praedictis asserentes, statuentes summum potestatis apicem non in uno, sed in multitudine praelatorum. Quod si fiet, dubitandum est ne D. Jesus malum dilectae ecclesiae plangat, sicut et olim sub veteri testamento per Jeremiam conquestus est, dicens in c. XII.: Pastores multi demoliti sunt vineam meam; conculcaverunt partem meam; dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis; posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me. Et hoc inde est, quia ex multitudine principatuum sibiinvicem non subordinatorum ut in concilio contingeret, sequitur ut plurimum discors sententia, eo quod unus construit, alter destruit, propter quod, ut dicit philosophus i. ult. metaphys.: Entia male disponuntur, entia vero nolunt male disponi; omnis enim multitudo principatuum mala, unus igitur princeps. Sic igitur et in ecclesia Christi catholica unus est tantum princeps, in quo potestatis plenitudo solummodo reperitur. Quod

autem dicunt ulterius, quod concilium habet immediate auctoritatem a deo, cum id nulla auctoritate probent, nec etiam fulciant ratione, tenendum pro vero non eſt, maxime cum oppoſitum pateat ex praedictis.

TERTIA PARS TOTIUS TRACTATUS.

Duabus primis hujus tractatus partibus abſolutis, quia ad manus meas devenit copia reſponſionis ambaſiatoribus ſeu oratoribus D. Eugenii papae IV. per quendam magnum virum pro parte Baſileenſis concilii in publico nuper factae; in qua quidem reſponſione aliqua praemiſſis contraria, imo et veritati meo judicio diſſona ſibique invicem non bene conſona inſpexi, eapropter illa censui nunc tangere et ſaltem ſuperficialiter impugnare et ſpecialiter quoad quinque puncta. Praefatus enim reſpondens replicando ad propoſita per unum ex praedictis oratoribus, scil. archiepiſcopum Tarentinum,

Primus Punctus.

Primo concedit, quod Rom. pontifex caput ſit et primas eccleſiae, vicarius Chriſti et a Chriſto, non ab hominibus vel synodis aliis praelatus et paſtor Chriſtianorum; et quod ei datae ſunt claves a domino et uni dictum ſit: Tu es Petrus &c., et quod ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit et alii in partem ſolicitudinis. Et ſubinfert: iſta plane fatemur et credimus operamque dare in hoc sacro concilio intendimus, ut omnes eandem ſententiam credant; et nihilominus ipſum Rom. pontificem dicimus obedire teneri mandatis, ſtatutis, ordinationibus ac praeceptis hujus Baſileenſis ſynodi et cujuscunque alterius concilii generalis legitime congregati in his quae pertinent ad fidem et ad extirpationem ſcismatis et ad generalem reformationem eccleſiae dei in capite et in membris. Haec ille. Quae verba ſi bene attendantur, ſibiinvicem contradicere vi-

dentur, videl. conceſſa cum affirmatis ſeu aſſertis. Nulla enim ratio permittit nullusque intellectus admittit, quod caput obligatum ſit legibus membrorum vel corporis, quorum et cujus eſt caput; neque quod primas teneatur obedire legibus ſecundariorum. Alias enim neque caput neque primas erit, cum teneri obedire includat inferioritatem reſpectu ejus cujus eſt legem imponere cum par in parem non habeat poteſtatem. Unde hoc nullo modo convenit capiti vel primati, nec convenire poteſt, niſi nomina a naturalibus ſignificationibus abducere velimus, quod turpe eſt et in omni ponderoſa disputatione cavendum eſt, ſecundum enim philoſophum cum negantibus quid nominis vel principia non eſt amplius disputandum. Si dicat fortaſſe, quod licet concedat, quod papa ſit caput eccleſiae et primas, non tamen, quod ſit caput concilii; hoc eſt ridiculum. Quis enim concedat, aliquid praeeminere repreſentato, quod non praeemineat repraeſentanti. Concilium autem ipsam eccleſiam repraeſentat, ut in eadem reſponſione ſaepe replicat; repraeſentans vero potius in aliquo deficit vel recedit a perfectione vel ratione repraeſentati quam in aliquo ſuperabundet, ut patet in omni alio genere repraeſentationis. Item ex hoc, quod concedit Rom. pontificem esse vicarium Chriſti, ſequitur manifeſte oppoſitum ſui affirmati. Poteſtas enim vicaria eſt hujus naturae, quod ſolum regulari habet ab eo, cujus vices gerit. Unde et vicarius dicitur, niſi contra hanc generalem naturam ſpecialem legem ſubditis ſuis et privilegium dederit principalis, ut ſupra in VI. VII. et VIII. concluſionibus ſatis declaratum eſt. Et ideo a nullo hominum particulari, nec etiam ab aliquo communi collegio poteſt papae lex imponi, niſi de hoc appareat expreſſa voluntas Chriſti, quod iſte nequaquam oſtendit, ſed ſolum adducit, quia concilium Conſtantienſe ita diffinivit, cui et eodem modo dicendum eſt, niſi forte concilium Conſtantienſe velit negare papam eſſe vicarium Chriſti. Idem etiam patet per illud,

quod concedit, quod papa non ab hominibus vel ſynodis aliis praelatus ſit et paſtor Chriſtianorum. Si enim hoc verum eſt, quod praelatio et paſtoratus papae non eſt a ſynodis ullis, ſequitur neceſſario, quod neque sub ullis, quomodo ergo obedire tenetur, ſi non ſubjectus; aut quomodo ſubjectus, ſi non ab illis. Nusquam enim auditum eſt, ut obedientia non ſubditos aſtringeret, hoc eſt igitur rationem confundere. Non enim omnis inferior poteſtas omni ſuperiori obedientiam debet; ſed illi tantum, a qua dependet. Quod ſi removeas dependentiam, ſoluta eſt omnis lex et nulla eſt obligatio. Et praeterea non capit ratio, quod ſolus papa vocatus ſit in plenitudinem poteſtatis, et tamen ſubſit alterius judicio poteſtatis. Illam enim plenam dicimus poteſtatem, quae ſic ligat alios, quod ipſa a nulla ligatur. Quod enim facit in vaſis vacuitas vel ſemiſubjectio, hoc facit in poteſtatibus ſubjectio vel ſemiſubjectio. Quantumcunque parum demas de plenitudine vaſis, jam deſinit plenitudo. Subjice cuivis hominum vel humano collegio poteſtatem papae, jam deſinit eſſe plena. Diceres fortaſſis: non ſubjicio poteſtatem papae ſimpliciter, ſed in his tantum tribus caſibus; ſateor, quod hoc non erit illam in totum evacuare, sed in partem, jam ergo non plena erit. Taceo de fide, de qua dictum eſt in II. concluſione; taceo de ſcismate, in quo potius contra praeſumptum papam, quam contra papam agitur. Sed quid de reformatione in capite? Extra enim hos duos caſus quid reformandum niſi in moribus reſtat? Non eſt hoc aliud quam aequare caput membris, utputa una lex conditur a concilio, quae univerſalem reformationem morum eccleſiae tangit: papa ad illam obligatur per te et quilibet episcopus vel clericus ſimiliter. Si illi legi poena adjicitur, veniet puniendus papa ſicut et alius clericus et illa poena plectendus, et ſic quoad hoc nulla differentia erit quoad vim legis inter papam et minimum clericum, ſed erit par ſubjectio utriusque, et

ſic ceſſant omnia jura, quae dicunt papam a nemine judicari et ejus punitionem ſibi ſoli dominum reſervaſſe. Cessant etiam dicta ſanctorum theologorum dicentium, quod in correctione fraterna ubi occurrit quod is qui corrigendus est, non habet ſuperiorem poſt ammonitionem non habetur aliud refugium, quam ad ſolum deum, cui ſoli absque tamen poteſtatis diminutione ſubeſt. Similiter etiam non magis poterit papa circa leges concilii dispenſare vel aliquod immutare quam alius praelatus, ſi illis pariter ſubeſt, cujus contrarium clamant innumeri textus et gloſſae, quae in parte ſupra allegatae ſunt. Et eſt etiam contra communem uſum eccleſiae usque in diem praeſentem obſervatum, quod videlicet papa multa concedit, non obſtante generali decreto vel canone generalis concilii. Et ſic ſecundum iſtos eſſet dicendum, quod usque in praeſens eccleſia univerſalis erravit, quod eſt abſurdum, quinimo erroneum eſt dicere illud eſſe errorem, quod tanto tempore eccleſia per uſum continuum approbavit. Quod ſi dicat, quod non eſt contradictio inter conceſſa et affirmata, quia illa intelliguntur de eccleſiis particularibus, haec de eccleſia univerſali, hoc eſt quod papa eſt caput et primas reſpectu eccleſiarum particularium et nihilominus obedire tenatur eccleſiae universali &c. Iſtud ſtare non poteſt, ſicut patebit infra in quarto puncto: ubi haec diſtinctio impugnabitur.

Secundus Punctus.

Conſequenter nota dictus reſpondens praeeminentiam auctoritatis ſeu poteſtatis eccleſiae extollere nititur, cum in ſua reſponſione ſubdit: In primis hoc vos meminiſſe decet catholica &c.

Pro quo notandum, quod licet auctoritas eccleſiae tanta ſit, quod vix poteſt ſatis ad plenum extolli, tamen advertendum eſt, quid hic nomine eccleſiae intelligatur. Cum enim eccleſia multipliciter dicatur, ut notatur extra de verbo ſigni. Cum clerici. Hic capere eam videtur

pro univerſali collectione fidelium. Unde dicit: meminiſſe decet catholicam eccleſiam iſtam eſſe, cujus confeſſio in ſimbolo continetur, cum dicitur eccleſiam catholicam. Huic autem eccleſiae hanc auctoritatem tribuit, ut illa ſola evangelia dicantur, quae ipſa recipit et quod illa ſola s. ſcriptura dicitur, quam ſacram haec declaravit eccleſia. Quae omnia vera ſunt, ſi ita capiatur eccleſia, quod non excludat perſonam papae et non ſolum ipſius, imo nec cujuscunque fidelis. Alias enim catholica non erit, quia univerſalis non erit, quia univerſalis non erit aliquo particulari excluſo. Sed iſta non videtur eſſe intentio ſua, imo intendit, ut videtur, ab hac univerſalitate ſeu eccleſia papam excludere. Nam redarguens oratorem d. n. papae archiepiscopum Tarentinum, quod commendaverat auctoritatem ſummi pontificis, non autem commendaverat auctoritatem eccleſiae, inſurgit ad extollendum auctoritatem eccleſiae quaſi diſtinctam ab auctoritate ſummi pontificis, attribuens haec quae praediximus ipſi eccleſiae, quaſi eadem non poſſint vel non debeant attribui summo pontifici, cujus tamen contrarium apparet per ſacros canones di. XV., ubi per Gregorium et Gelaſium summos pontifices determinatur, quae concilia, quae epiſtolae et quae ſcripturae ſint a fidelibus recipiendae vel repudiandae, quae etiam medio modo ſe habeant et apocriſa nuncupentur. Attribuit etiam huic eccleſiae, quod ipſa sola eſt, quae per privilegium errare non poteſt in his quae ad fidem neceſſaria ſunt. Quod etiam dictum verum eſt, ſi ſic capiatur univerſalis eccleſia, quod nulla fiat alicujus particularis excluſio, et nedum papae, ſed nec cujuscunque inferioris perſonae. Quod tamen non videtur eſſe de intentione loquentis, qui, ut dictum eſt, ſic commendat eccleſiam, ut velit papam excludere. Hoc autem valde inconveniens eſt; nam ut dictum eſt in XII. concluſione, eccleſia quae non poteſt errare, conſiſtit in habentibus fidem caritate formatam; qui autem ſint illi, ſoli deo notum est; quae

quidem ecclesia potest quandoque in uno solo salvari, sicut de b. virgine Maria tenent doctores tempore passionis. Et ideo sicut potest contingere, quod omnes personae particulares ecclesiae universalis haberent fidem formatam, solo papa habente eam informem: ita per contrarium potest contingere, quod omnes personae particulares haberent fidem informem, solo papa habente illam formatam et tunc durante casu in ipso esset ecclesia talis, quae non potest errare. Quod si dicas, papa existens in tali statu potest cadere ab illo et tunc extincta erit ecclesia: dico, quod antequam ipse a tali statu cadat, alius et alii reducentur a fide informi ad formatam. Et hoc supponendum est ex ordine gubernationis spiritus sancti, qui semper cum ipsa ecclesia i. e. cum aliquo de ecclesia vel aliquibus mansurus est. Cavendum est igitur, ne in hujusmodi locutionibus de ecclesia universali intelligatur exclusum caput ejus, quinimo semper intelligatur inclusum nedum secundario, sed principaliter, ut notat cap. Cum clerici extr. de verbo signi., ubi declaratur, quod nomine ecclesiae Placentinae seu cujuslibet particularis semper intelligitur principaliter episcopus tanquam caput ejus. Unde juramentum fidelitatis praestitum ecclesiae principaliter intelligitur praestitum episcopo, ut ibi dicitur. Sicut autem episcopus se habet ad ecclesiam particularem, ita papa ad universalem. Unde juramentum praestitum ecclesiae universali principaliter intelligi debet praestitum papae. Et ideo juramenta praestita concilio generali ab his qui illi incorporantur, intelliguntur principaliter praestita papae tanquam capiti ejus, nisi forte dicas, non esse papam caput ecclesiae neque concilii, de quo infra dicetur. Attribuit denique in hoc puncto ipsi ecclesiae, quod ipsa sit corpus misticum Christi, cujus caput ipse D. Jesus Christus. Quod si intelligatur de ecclesia, prout includit papam, verum dicunt, quia ecclesia cum papa faciunt unum corpus misticum, cujus caput immediatum est Christus. Si autem,

prout videtur protendere, quia alias fruſtra niteretur laudare eccleſiam ſeorsam a papa, intelligatur de eccleſia ſecluſo papa, ſic quod ipſa non habeat caput niſi Chriſtum, hoc eſt erroneum. Hic eſt enim error . . . .[1]) atque Graecorum dicentium sufficere ad ſalutem, ut eccleſia recognoscat Chriſtum caput et non Rom. pontificem. Sed fides catholica tenet utrumque eſſe caput eccleſiae. Pro cujus intellectu eſt ſciendum, prout docet s. Thomas III. parte qu. VIII. art. VI.: Quod caput in alia membra influit dupliciter: uno modo quodam intrinſeco influxu, prout scil. virtus motiva et ſenſitiva a capite derivatur ad cetera membra; alio modo secundum quandam exteriorem gubernationem, prout ſcil. per viſum et alios ſenſus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiae non eſt ab aliquo niſi a ſolo Chriſto, cujus humanitas ex hoc quod eſt divinitati conjuncta, habet virtutem juſtificandi; ſed influxus in membra eccleſiae quantum ad exteriorem gubernationem poteſt aliis convenire. Et ſecundum hoc aliqui alii poſſunt dici capita eccleſiae ſecundum illud Amos VI: Optimates capita populorum. Differenter tamen a Chriſto dicuntur capita: 1⁰ quidem quantum ad hoc quia Chriſtus eſt caput omnium eorum, qui ad eccleſiam pertinent ſecundum omnem locum, tempus et ſtatum; alii autem homines dicuntur capita ſecundum quaedam ſpecialia loca, ut episcopi ſuarum eccleſiarum, vel etiam ſecundum determinatum tempus, ſicut papa eſt caput totius eccleſiae, ſed tempore ſui pontificatus et ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcil. ſunt in ſtatu viatoris. 2⁰ quia Chriſtus eſt caput eccleſiae propria virtute et auctoritate; alii vero dicuntur capita in quantum vicem gerunt Chriſti ſecundum illud II. Cor. II.: Nam et ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, et ſecundum illud II. Cor. V.: Pro Chriſto le-

1) Im Texte ſteht: y i. dorum.

gatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Haec Thomas. Ex quibus patet, quod Christus sibi rationem capitis reservavit secundum interiorem influxum, utputa interiorum inspirationum, revelationum et ceterarum virtutum immissionem. Quo autem ad exteriorem motum communicavit aliis rationem capitis, utputa quoad sacramentorum administrationem, spiritualis et corporalis cibi cibationem, legum positionem, bonorum praemiationem et malorum correctionem. Quae quidem omnia per seipsum exequi poterat in mundo remanendo, sed ex suo certo judicio, dimisso praesenti statu, hujusmodi commisit uni suo principali vicario, quem omnium caput constituit dicens: Tu vocaberis Cephas, Joh. pri., ubi Beda: intuitus est autem eum non exterioribus oculis tantum, sed et aeterno divinitatis intuitu vidit cordis simplicitatem, animi sublimitatem, cujus merito cunctae esset praeferendus ecclesiae. Ubi nota quod non dicit ven. Beda cunctis ecclesiis divisim, ut adversarius videtur solum velle concedere; sed cunctae i. e. universali ecclesiae, de quo infra magis dicetur.

Ex quibus patet, quod dicere ecclesiam quocunque modo dictam non habere caput in terris, nisi Christum, qui est in coelis, non est aliud quam frustrare ordinationem Christi et ejus vicariatum annullare dicendo: nolumus hunc regnare super nos, Christique jugum excutere et velut asina Balaam contra domini sui imperium calcitrare. Et si dicas, quod ecclesia, prout includit papam, saltem non habebit caput in terris: dico, quod imo, quia in ipsa ecclesia includitur papa tanquam caput in corpore, quod virtute accepta a Christo movet se et reliquum totum corpus, sicut una virtute accepta a naturali agente caput dirigit se et alia membra. Non enim alio oculo videt caput, ubi se reclinet et ubi pedem locet, sed uno et eodem et sic totum corpus etiam movet. Et eodem modo intelligenda sunt alia, quae ecclesiae attribuuntur in prae-

dicta responsione, quoad istum punctum videl. quod est sponsa et soror Christi unica, decora, et sine macula &c. Quae omnia sunt vera de ecclesia cum suo capite papa. Alias dico, quod erit dare Christo sponsam et sororem acephalam et truncatam, turpem, indecoram, abominabilem et plenam maculis. Quod si dicant, hanc ecclesiam, sc. papa secluso, propter sui excellentiam esse et corpus et caput, sicut legi in scriptura quadam ab uno ex his, quae sunt in Basileensi concilio edita, quosdam fingere: certe hi jam ad metam inopinabilem deducti sunt; hoc est enim miserorum refugium, ut suam pertinaciam sustineant ad aliquid inopinabile et alias inauditum concedendum venire. Si enim caput est, jam non est corpus, et si corpus, jam non est caput, cum haec sint relative opposita. Quod si dicere vellent, quod est caput et corpus collective, non divisive, hoc est in composito non diviso sensu, sicut dicitur, quod duo et tria sunt quinque, licet nec duo sint quinque nec tria sint quinque: tunc sequitur, quod una persona vel una pars istius universalis ecclesiae sic acceptae erit caput et alia corpus, sicut una pars numeri quinarii est duo et alia tria. Et cum papa intelligitur exclusus ab ista ecclesia, et ipse etiam sit caput ecclesiae, ut isti etiam concedunt, sequitur necessario, duo simul esse capita generalia universalis ecclesiae praeter Christum, qui est caput principale. De tali enim capite generali nunc loquimur, hoc autem quantum sit impium et erroneum manifestum est cuilibet intuenti.

Tertius Punctus.

Tertius denique dictae responsionis punctus exprimit excellentiam potestatis conciliorum, cum dicit: Praeteristis etiam silentio sacrorum generalium conciliorum auctoritatem &c., ubi attribuit generali concilio 1° quod habet potestatem immediate a Christo, et hoc non alia via probat, nisi quia sic diffinitum est in concilio Constantiensi, quod quidem bene et male potest

intelligi. Si enim capiamus concilium, ut includit caput ſuum, ſc. perſonam papae cum auctoritate ejus libere et pacifice et unite negotia eccleſiae ſimul pertractantes, ſic verum eſt, quod haec poteſtas eſt immediate a Chriſto, quia ut dictum eſt in I. parte; tunc concilii et papae non ſunt duae potaſtates, ſed una et eadem modo ibidem declarato. Si autem capiamus concilium ut quandam congregationem praelatorum excluſa perſona papae vel auctoritatis ejus, dico, quod ejus poteſtas non eſt a Chriſto neque immediate neque mediate, quia nulla eſt, nec eſt cenſendum concilium, ſed conciliabulum, ut ſupra dictum eſt VI. concluſione. Et notanter dico libere et pacifice et unite, quia ubi eſſet congregatum etiam legitime a principio concilium et in eo papa vel vicegerens non eſſet in ſua libertate, ſed praeſumeretur vi, metu vel minis per eos qui eſſent in hujusmodi concilio induci ad aliqua quae ſuae auctoritati et privilegiis a Chriſto conceſſis derogarent conſentienda, vel ſi vitatione ſcandali aut schismatis, non mera electione, ſed importunorum impetitione et periculorum evitatione aliquod facere vel dicere cogeretur, tunc poteſtas Chriſti in ipſo ſolo papa reſtringeretur et jam deſineret eſſe in reſiduo corporis, ſicut in erigente ſe contra id a quo dirigi habet, unde hujusmodi concilium legitime congregatum quoad primam vocationem jam deſineret eſſe legitime congregatum quoad ſui proſecutionem. Non enim actio papae convocantis concilium eſt actio praeconis, ſed principis; praeconis enim non eſt convocatum concilium diſſolvere, ſed ejus legibus obedire, principis autem, qui illud per praeconem convocavit ad bonum publicum conſulendum eſt id etiam pro libito vel ſaltem pro certa ratione diſſolvere, praeſertim ubi viderit illud in derogationem jurium erigi. Et eo facto quo princeps ſe a concilio ſubtrahit, jam deſinit eſſe concilium, praeſertim in principe, cujus poteſtas a ſubditis non dependet, cujusmodi inter omnes mundi poteſtates eſt

papalis poteſtas, ut ſupra in VIII. concluſione dictum eſt. Quod ſi dicas, ex hoc ſequitur, quod ſede apoſtolica vacante per magnum tempus ſicut poſſibile eſt et alias contigit, ſi immineat periculum aliquando, cui non poſſet congrue niſi per concilium obviari, quod tunc non poterit celebrari concilium et per conſequens pereclitabitur univerſalis eccleſia: dico, quod etſi contingere poſſit ſedem vacare quoad perſonam ſedentem, nunquam tamen vacat quoad virtutem et auctoritatem. Auctoritas enim Chriſti inſeparabiliter inhaeret rom. ſedi, ſeſſoribus autem ſeparabiliter ſaltem per mortem vel ejus evidens judicium, qui illam auctoritatem ſeſſori tribuerat, unde mortuo papa adhuc remanet caput omnium ſedium, et ideo deficiente principali ſeſſore auctoritas convocandi concilium remaneret in coaſſeſſoribus ejus, ſcil. dominis cardinalibus. Et tunc collegium dd. cardinalium ſe habebit loco papae adeo quod ſi ceterae omnes ſedes mundi convenirent absque conſenſu et voluntate ipſius collegii, non eſſet illa congregatio cenſenda concilium legitime congregatum, ſed multitudo quaedam acephala. Attribuit etiam haec dicta reſponſio in excellentiam auctoritatis conciliorum dicta multorum ſummorum pontificum, qui illorum auctoritatem videntur attollere. Quae tamen omnia ſunt intelligenda de conciliis quae fiunt modo praedicto, videl. non excludendo ſuum caput, cujusmodi erant illa concilia, quibus illi ſummi pontifices ſcribebant, quia non ipſis renitentibus, ſed approbantibus et conſentientibus celebrabantur. Quid autem alii ſummo pontifices ſcripſerint de conciliis, quae ſecus fiebant, ſupra in V. concluſione dictum eſt. Attribuit praeterea dignitati concilii quod errare non poſſit. Et quidem fateor, quod concilium debite congregatum et debite proſecutum, continue ſuo capiti unitum non eſt facile praeſumendum, quod cadere debeat in errorem propter veriſimiliter praeſumptam praeſentiam ſpiritus ſancti. Quod

tamen hoc ſit ita neceſſarium, quod oppoſitum ejus ſit impoſſibile, non videtur, tum primo quia poſſibile eſt, quod in uno concilio non conveniant, niſi aliqui praelati, qui omnes habebunt fidem informem. Tum etiam quia multa concilia de facto leguntur erraſſe, ut patet in XI. concluſione, licet iſte dicat, quod nusquam legitur aliquod erraſſe, de quo miror, ſi chronicas ad integrum legerit, ut enim oſtenſum eſt in praedicta concluſione XI. Non eſt neceſſe dicere, concilium eſſe illam eccleſiam quae errare non poteſt, licet illa pro quodam tempore eſſe poſſit, utpote quia poteſt contingere, quod ibi congregabuntur ſolum illi qui habent fidem formatam. Non enim ſine cauſa lege canonica cautum eſt, ut ubi in geſtis conciliorum discors ſententia invenitur, illius concilii ſententiae ſtandum ſit, cujus potior et antiquior extat auctoritas L. di. domino ſancto i. ſi. Nunquam autem poſſunt adinvicem discordare ſententiae, ubi altera a vero deviante, quoniam ſec. philos. in I. ethic. omnia vero conſonant; ſed falſum eſt illud quod diſſonat vero. Si autem conditor hujus canonis habuiſſet hanc opinionem, quod concilium nullum poſſet errare, non ſtatuiſſet hunc canonem. Ad rationem autem quam adducit, quia ſi unum, inquit, poſſet errare, eadem ratione aliud et ſic omnia et conſequenter nihil certi haberemus: dicendum, quod eadem ratione poſſemus arguere, quod ſi unus homo poteſt errare, eadem ratione alius et alius, et ſic omnes et ſic tota errabit eccleſia. Discurſus enim valeret conſiderata natura hominum in ſe, ſed conſiderata diſpoſitione divina quae diſpoſuit, quod ſi hos et illos, non tamen omnes ſimul errare permittat, discurſus non valet. Et ita dicendum de papis et de conciliis, quia licet hunc vel illum papam quandoque errare permittit, non tamen permittit omnes errare ſucceſſive. Et ideo ſubſequens corriget, quod

praecedens male ſtatuit, ita et de conciliis, ut ſupra in XI. concluſione patuit, quia concilium romanum correxit Conſtantinopolitanum. Et ſi dicas, quod tunc non erimus certi, quid tenere debeamus, ſi unum contradicat alteri: dico, quod hoc poſſet dici, ſi nondum eſſent niſi duo concilia celebrata quae numero praelatorum et pondere eſſent aequalia et non eſſet evidens, quod eorum magis concordaret s. ſcripturae et tunc deberemus expectare tertium et potius adhaerere illi cujus ſententiae tertium adhaeret. Et ideo ſalubriter in quibusdam religionibus ſtatutum eſt, ut licet unum capitulum generale aliquid ſtatuat, non habeatur pro lege, niſi per tria capitula ſucceſſive ſequentia fuerit approbatum. Quia igitur ſecundum concilium generale approbavit primum, et tertium approbavit primum et ſecundum, et quartum approbavit primum, ſecundum et tertium, et octo ſubſequentia conformiter ſenſuerunt quatuor principalibus, ideo firmi et certi ſumus, quid tenere debeamus. Et ideo ſi concilium Conſtantienſe vel quodlibet aliud aliquod ſtatuat, quod illis 12 et ſubſequentibus diſſonet, non eſt pro lege habendum, ſed penitus reſpuendum et tanquam erroneum reputandum.

Alia autem ratio, quam facit, non valet, videl. quod concilium repraeſentat univerſalem eccleſiam, ſed illa non poteſt errare, ergo nec concilium. Haec enim repraeſentatio non importat adaequationem vel identitatem virtutis. Hi enim qui ad concilium vadunt, non portant ſecum fidem et caritatem vel ſanctitatem eorum qui remanent, ſub quibus tamen virtutibus conſiſtit eccleſia quae eſt ſine macula, ut praedictum eſt; ſed in hoc repraeſentat, quia lex concilii debet reputari lex univerſalis eccleſiae, quia hi qui remanent, ex quo ſunt vocati et ex certis cauſis accedere renuunt, tenentur obedire ſtatutis concilii in his tantum quae non ſunt contra s. ſcripturam vel contra decreta praecedentium

conciliorum, maxime in his quae fidei sunt. Et ideo glossa sup. c. arecta XXIV. qu. I. declarans, quae sit illa ecclesia quae non errat, non dicit, quod sit concilium generale, sed universitas fidelium. Et de hoc dictum est supra satis in conclus. XI.

Alia etiam ratio, quam adducit, non valet, videl. quia si concilium posset errare, et papa etiam potest errare, tunc sequeretur, quod totum corpus ecclesiae posset errare, cum concilium sit, vel repraesentet totum reliquum corpus. Haec enim ratio non valet, nedum de papa, sed nec de quolibet minimo fideli, ut praedictum est; unde arguit a sensu diviso ad sensum compositum. Non enim sumus certi, an papa vel quicunque est ille quem excludimus sit ille solus qui non errabit, durante in eo praesentia spiritus sancti, vel non, utrumque enim possibile est. Et ideo falsum est, quod dicit, quod totum reliquum corpus, excluso papa non potest errare, imo possibile est, ut omnes errent excepto ipso, ut supra satis dictum est; sed nunquam erit verum dicere, quod omnes simul errent.

Attribuit etiam dignitati concilii juxta decretum concilii Constantiensis, quod quicunque cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, statutis et decretis ipsius concilii obedire tenetur, quod si contumaciter contra fecerit, condignae poenae subjiciatur et digne puniatur. Quod quidem et verum potest esse et falsum. Statuta enim concilii possunt concernere duplicem materiam, videl. fidei vel morum. Si quidem est fidei, utpote quia aliquod ordinat, quod est fidei consonum et s. scripturae: dico, quod ad illud papa tenetur, non quidem inquantum a concilio manat, sub quo papa non est, sed inquantum ex s. scriptura elicitur, supra quam ipse non est. Et tunc dico, quod nedum concilio, sed etiam mihi tenetur papa obedire, unde si sibi dicam: crede in deum, ipse tenetur credere, non ratione

dicentis, ſed ratione dicti. Ubi advertendum eſt ſec. s. Thomam II. 2. qu. I. art. X., quod papa vel concilium condendo unum articulum fidei non proprie articulum faciunt, ſed ipſum ex s. ſcriptura vel alio articulo eliciunt. Et ideo ſi concilium aliquem articulum de novo conderet, qui eſſet contra s. ſcripturam vel ex illa non poſſet elici, non teneremur illum pro articulo fidei ſuſcipere. Ubi etiam eſt notandum, quod idem doctor ibi dicit, videlicet quod prohibitio vel ſententia ſynodi ſe extendunt ad privatas perſonas, quarum non eſt de fide tractare, non autem ad ſequentem ſynodum, nec ad ſummum pontificem, ad quem pertinet et ſynodum convocare et ejus ſententias confirmare. Si autem ſtatutum concilii concernat materiam moralem, tunc aut eſt de genere bonorum ſecundum ſuam ſpeciem, ſicut non mentiri, non furari, non inhoneſte converſari et ſimilia, et tunc ad hoc quidem tenetur papa et conſimilis, et non quia ſtatutum concilii, ſed quia ſtatutum dei vel naturae, a quarum legibus papa non eximitur. Aut eſt de genere indifferentium ſecundum ſe, ut quod jejunetur vigilia alicujus ſancti, quae adhuc non eſt in praecepto, vel quod de uno ſancto fiat feſtum duplex, de quo fiebat ſimplex; et tunc diſtinguo, quia aut papa tali ſtatuto conſenſit, cum fieret, vel ipſum confirmavit, poſtquam factum eſt, et tunc dico, quod ad illud obligatur de honeſtate, non de neceſſitate, ſicut ſupra in VI. concluſione declaratum eſt. Aut illi non conſenſit, nec illud confirmavit, et ſic nullo modo obligatur, niſi fortaſſe de ſui beneplacito velit ipſum obſervare. Et hujus cauſa eſt, quia non capit ratio, ut is ad quem ſpectat leges roborare et confirmare ipſis legibus ſit ſubjectus. Confirmare enim eſt actus ſuperioris; obligari autem eſt actus inferioris: idem ergo eſſet ſuperior et inferior reſpectu ejusdem, quod implicat contradictionem. Quod autem ad papam pertineat leges conciliorum approbare vel

reprobare, patet ex VI. conclusione, et roboratur ex practica et consuetudine antiquorum, quae pro lege certissima est habenda. Nam in gestis I. Nicaenae universalis synodi tempore Silvestri celebratae legitur haec epistola [1]: Beatissimo papae urbis Romae Silvestro Osius episcopus Cordubensis, provinciae Hispaniae, et Victor et Vincentius presbyteri urbis Romae et ceteri episcopi CCCXVIII. salutem. Quum omnis corraborata est divinis misteriis ecclesiastica utilitas et ea quae ad robur pertinent s. ecclesiae catholicae et apostolicae, ad sedem tuam Romanam explanata de graeco in latinum gesta s. concilii scribimus ut confirmet vestrum sanctimonium gradus praefixos vel textus ordinationis. Quum quicquid constituimus in Nicaeno concilio, precamur, ut vestri oris consortio confirmetur: oret beatitudo tua pro universo concilio. Datum VIII. Kal. Sept. Paulino et Juliano coss. Et nota, quod praefati Osius et Victor erant in praedicto concilio legati papae, ut ponit Martinus in sua chron. Item in gestis synodi Ephesinae legitur, quod imperator ad perfectionem divinitus statutorum petiit apostoliace cathedrae apponi confirmationem, ut sic tanquam a b. Petro facta viderentur. Item in gestis IV. synodi, quae fuit Chalcedonensis, legitur, quod epistolam ss. papae Leonis quam misit s. Flaviano episcopo Constantinopolis, tanquam columnam fidei susceperunt, et usque hodie sic appellatur. Ex quo patet, quod tam magna synodus non dedignata est, fidem a papa suscipere. Item in ejusdem synodi gestis legitur, quod Anatolius episcopus cum multitudine sequacium obtinuit, ut conderetur canon in favorem sedis Constantinopolitanae in praejudicium Alexandrinae sedis. Qui tamen canon, quod in illum non consenserant legati apostolici, non fuit a papa, neque a sequentibus conciliis receptus. Quinimo cum patres dicti concilii peterent confirmationem eorum, quae in

1) Es braucht wohl kaum erwähnt zu werden, dass dieser Brief spätere Erdichtung ist.

concilio facta fuerant, repulfam habuerunt nuntii, et papa scripfit hanc epiftolam: De negotiis fidei fynodum congregare permifimus, ut s. patrum canones confer-ventur, qui in Nicaena fynodo inconcuffis dogmatibus editi fuerunt. Quapropter confiderationi veftrae fra-ternitatis innotesco, quod jura ecclefiarum, prout ab illis CCCXVIII patribus divinitus infpiratis condita funt, volumus ut permaneant et nil invehendae ambitioni concedatur &c. Et hoc dicit, quia Graeci in concilio illo obtinuerant, ut patriarcha Conftantinop. haberet primum locum poft papam; in Nicaena autem fynodo ftatutum fuerat, ut illum haberet patriarcha Alexan-drinus. Ex quo patet, quod non eft habendum pro lege, quod fit a concilio toto vel majori parte fine confenfu papae vel legatorum ejus, et per confequens, quod eorum quae fiunt in concilio confirmatio fpectat ad papam. Item in geftis ejusdem fynodi legitur, quod patriarcha Conftantinop. et totum concilium fic fcrip-ferunt Leoni papae: Sanctiffimo ac beatiffimo Leoni papae &c. Reptetum eft gaudio os noftrum et lingua noftra exultatione &c. Si enim ubi funt duo vel tres congregati in nomine ejus i. e. dei, ibi dixit fe effe in medio eorum, quantam putas circa CCXX facer-dotes inhabitationem ejus et familiaritatem exiftere, quibus utique tu ut caput membris praefidebas &c. Et nota ifta verba contra adverfarios modernos qui dicunt, papam non effe caput concilii, fed tantum mem-brum principale. Non fic fentiebat haec IV. fynodus, cum tamen papa perfonaliter ibi non praefideret, fed per quatuor delegatos, ut ibidem patet. Sequitur in-fra. Ea igitur quae diffinivimus ad remotionem totius confufionis, ad robur vero ecclefiafticae confeffionis fta-bilire digneris, fanctiffime et beatiffime pater. Et in fine epiftolae fic habetur: Ut autem fciatis, quod non ad gratiam vel ad odium alicujus fecimus, fed tanquam divino nutu gubernati et directi, cunctam vobis ge-ftorum vim notam fecimus, ut a vobis quae facta funt,

ſtatuantur, roborentur et concedantur. Et hoc quidem concilium. Imperatores vero b. Petri auctoritatem et ſucceſſorum ejus non ignorantes ita ad eundem papam ſcripſerunt: Victores Valentinianus et Marcianus glorioſi triumphatores ſemper Auguſti ſanctiſſimo patri ac verę venerabili Leoni archiepiscopo. Beatitudinem tuam ſub brachiis noſtrae ſerenitatis velociſſime valere optamus, requirentes quatenus cura omnipotentis dei veſtrarum precum nobis concedatur interventu, ut pia et pacifica ſua magnificentia omnia prospera et optata noſtro imperio concedere dignetur. Miramur permaxime, quia poſt ſynodum Chalcedonenſem et literas venerabilium episcoporum, quae ad tuam deo amicitiam miſſae ſunt, per quas omnia quae in ipſa facta ſunt vobis nunciaverunt, nequaquam a tua ſanctitate tales literae miſſae ſunt, quae videl. in ſanctiſſimis eccleſiis lectae in notitiam omnium devenirent, quod quorundam animabus, qui pravam adhuc opinionem ſectantur, ambiguitatem immiſit, utrum scil. tua beatitudo quae in ſancta ſynodo edita ſunt, confirmaverit. Et propter hoc veſtra reverentia literas transmittere dignetur per quas omnibus eccleſiis et episcopis notum ſit, univerſa quae in s. ſynodo geſta ſunt a tua beatitudine confirmata eſſe. Item in geſtis VI. ſynodi Conſtantinopolitanae legitur, quod cum ibi diſſenſio magna eſſet de duabus naturis in Chriſto, ſteterunt non diffinitioni concilii, ſed papae Agathonis abſentis. Unde in VIII. libro dictae ſynodi ſic habetur: Demetrius episcopus Phiſiadenſis civitatis ita dixit: Relationibus miſſis ab apoſtolica et principali ſede antiquioris Romae i. e. Agathone ad piiſſimum dominum noſtrum et magnum victorem imperatorem tanquam a ſpiritu ſancto editis per os ſancti et principis apoſtolorum Petri et per digitum praedicti beatiſſimi papae Agathonis ſcriptis, ego aſſentio et ſic credo et ſentio duas naturas et duas voluntates in Chriſto. Item Theodorus episcopus Armeniae ait: Ego audiens relationes miſſas ad dominum

noſtrum benigniſſimum a beatiſſimo papa Agathone et auctoritatum quae in ipſis referuntur intentionem capiens, credo, ſicut credit ipſe pater noſter papa Romanus. In hunc modum et omnes episcopi conſentientes dixerunt: Nos omnes ita credimus; iſtam fidem tenemus; iſtam ſequimur. Et peractis vite omnibus referentes deo gratias et papae, qui eos direxerat ad bonum in laudem ipſius totum concilium ita ſcripſit ei: Sanctiſſimo ac beatiſſimo papae Agathoni. Et infra: Unde et nos tibi tanquam principi eccleſiae totius orbis, quod geſtum eſt attribuimus ſupra firmam petram fidei ſtanti literisque a veſtra beatitudine ad piiſſimum imperatorem miſſis, in quibus vera confeſſio fidei continetur, libenter conſenſimus, quae tanquam a ſummo apice apoſtolorum divinitus enunciata cognoscimus. Item in geſtis VII. ſynodi, quae fuit apud Nicaeam habita, legitur, quod Taraſius eccleſiae Conſtantinop. praeſul totum proceſſum ipſius ſynodi ſummo pontifici, ut mos erat, retulit, ut tale concilium ſua auctoritate confirmaret, ubi nota, quod dicit, ut mos erat, quia ex hoc habetur, quod ita faciebant omnia concilia.

Ex quibus omnibus ſatis evidenter apparet, quod conſuetudo univerſalis eccleſiae, quam, ut iſte dicit, concilia repraeſentant, ſemper fuit, ut leges quae in conciliis condebantur, non ſummos pontifices ligarent, ſed ab eorum voluntate et arbitrio dependerent, nec antea illas habere vim legis, quam ab illis eſſent confirmatae. Si igitur, iſte ut dicit in ſecundo puncto, non ſolum eccleſiae decreta et ſententiae authenticae ſunt, ſed etiam ejus facta et conſuetudines inſtar habent ss. ſcripturarum, cum s. ſcripturae, ut ipſe dicit, et conſuetudini eccleſiae par ritus idemque pietatis debeatur affectus; quicunque autem, ſive particularis perſona ſive univerſale collegium vel concilium deviat a s. ſcriptura pro haeretico eſt habendus: ſequitur manifeſte, quod concilium devians a conſuetudine univerſalis eccleſiae pro erroneo eſt habendum. Concilium igitur Conſtan-

tienſe vel Baſileenſe vel quodcunque ſit illud, ſi praetenderat, papam ſubjicere legibus ſuis, quarum robur et confirmatio ab ipſo dependent, manifeſte deviant a conſuetudine univerſalis eccleſiae, ut ex ſuperioribus patet. Igitur pro erroneis quoad hoc ſunt habenda. Nec obſtat, quod dicit, quod concilia Papienſe et Senenſe eadem acta probaverunt. Scimus enim, qualia haec duo concilia fuerint. Et etiam ſi in duplo forent plura eorum conciliorum quae nominata ſunt et potior et antiquior extat auctoritas et per conſequens illis ſtandum juxta cauſam praeallegatam. Haec autem licet non protervo lectori ſufficere poſſent ad veritatis manifeſtationem, tamen confirmantur ex doctrina b. Thomae I. 2. qu. CXVI. art. V., ubi disputans, an princeps ſubjiciatur legibus. Reſpondit, quod princeps dicitur eſſe ſolutus legibus quantum ad vim coactivam legis, cujus oppoſitum dicit, videl. quod papa contraveniens legi concilii, condignae poenae ſubjici debet, in quo conſiſtit vis coactiva. Et ſubdit idem doctor rationem. Nullus enim cogitur a ſeipſo; lex autem non habet virtutem niſi a principis poteſtate, ſic igitur princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quia nullus poteſt in ipſum judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat; ſed quantum ad vim directivam legis princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundum quod dicitur extra de conſti. Cum omnes: unde quantum ad dei judicium princeps non eſt ſolutus a lege quantum ad vim directivam ejus, ſed debet voluntarius, non coactus legem implere. Haec ille. Ubi etiam adducit gloſſa ordinaria ſuper illud: Tibi ſoli peccavi, quae ſic habet: Quia rex eſt omnibus ſuperior, ideo a deo tantum qui eſt major eo puniendus eſt. Si quis de populo erraverit, et deo peccat et regi; rex vero non habet hominem qui ſua facta dijudicet, ideo ait: Tibi ſoli peccavi. Si igitur iſta dicuntur de principe et rege, quanto magis de eo qui eſt princeps principum in terris, rex regum et dominus dominantium. Nec valet, ſi dicatur, quod

ifta intelliguntur de perfonis particularibus, hoc eft, quod nulla fingularis perfona habet principem judicare, quia aeque ligatus eft qui ligatur a pluribus, ficut qui ab uno, imo magis, unde fi princeps effet obligatus quoad vim coactivam refpectu univerfitatis, quia fcil. ab univerfitate poffet puniri, effet magis ligatus, quam fi refpectu perfonae fingularis, quia fortius ftringeretur, quanto minus communitati refiftere poffet, quam fingulis. Et etiam hoc locum habere non poffet, nifi in communitate a qua dependet poteftas principis, cujusmodi non eft poteftas papae, ut deductum eft fupra in concluf. VII. Nec valet, quod ifte dicit, quod non eft ita de communitate ecclefiae ficut de aliis communitatibus et politiis, quia in medio ejus fedet Chriftus, qui ipfam dirigit et auctoritatem praeftat. Hoc enim verum eft, ubi fit ecclefia unita fuo capiti et ad bonum congregata; ubi autem fit congregata ad condendas leges iniquas, etiam fi ibi fit caput, non eft Chriftus in medio, ficut dictum eft fupra. Quod etiam confirmat b. Bafilius dicens: Ipfe enim deus prope eft unicuique noftrum, cum bona opera nos ei aftringunt, et diftat, quotiens inhaerendo perditioni elongamur ab eo; et praecipue quando funt divifi a capite legitimo, quia quicquid agunt, non habet vigorem. Et ideo proteftatur b. Gregorius in regiftro epiftola praenominata quibusdam episcopis, qui erant ituri ad concilium, quos admonet, ut bene advertant, quod ibi agant; quia quaecunque agent fine confenfu fummi pontificis nullam vim erunt habitura. Et ideo falfum eft, quod ipfe imponit b. Gregorio, quod videl. fi vidiffet dubium de geftis alicujus univerfalis fynodi, dixiffet, recurrendum effe ad aliam fynodum, cum expreffe dicat, recurrendum effe in tali cafu ad apoftolicam fedem i. c. nec licuit dift. XVII., ubi dicit gloffa, quod ad folum papam fpectat interpretari ftatuta univerfalis concilii. Item quia, ut dictum eft, in fine fynodorum femper eft habitus recurfus ad fummos pontifices, non nifi ut certa

confirmarentur, dubia lucidarentur et falsa repudiarentur. Et ideo non confidant isti in congregatione, quia congregatio ut sic non arguit, Christum esse in medio eorum; unde notanter dicit: in nomine meo. Alias enim sic possemus dicere, quod Christus vel deus erat in medio concilii sacerdotum et pharisaeorum, quod inierunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent, quia sicut hodie episcopi et religiosi congregati faciunt concilium, quod repraesentat ecclesiam christianam, ita tunc sacerdotes et pharisaei congregati repraesentabant ecclesiam synagogae. Et ideo si hodie congregentur omnes episcopi et religiosi contra vicarium Jesu Christi nitentes, potestatem a Christo sibi traditam ligare, artare vel limitare, non glorientur, se habere medium Christum, sed videant, ne habeant Antichristum. Ipse enim Christus de talibus praedixit: in concilium eorum non veniat anima mea. Unde in hoc passu est bene notandum, quod sicut dicunt evangelistae, aliqui pauci et humiles non consenserunt illi iniquo concilio, sed non potuerunt praevalere contra multitudinem. Et ideo absque omni dubio fatendum est, quod ecclesia tunc vere erat in illis, quia non consentiebant concilio, i. e., non illis de concilio. Et ita etiam nunc, si concilium praetendat derogationi jurium vicarii Jesu Christi, ecclesia nequequam est in eis, nisi forte ecclesia Satanae. Sed vera ecclesia est in aliis hominibus humilibus et filiis obedientiae, praelatis religiosis vel laicis, qui continue conqueruntur et murmurant de his quae in concilio dicuntur tractari contra auctoritatem Christi vicarii ab his qui sub praetextu nescio cujus reformationis seu potius destructionis ecclesiae non aliud quaerunt, quam propriam libertatem, quibus recte convenit Christi parabola Luc. XIX: Miserunt legationem post ipsum dicentes: nolumus hunc regnare super nos. Haec autem legatio secundum glossam fuit Judaeorum persecutio in Petrum et coapostolos, ut qui in Christum jam agere non poterant, in ejus vicarium et discipulos

agerent. Ita isti qui hodie persecutionem tam verbis quam factis concitant in vicariam Christi et illi adhaerentes, non aliud se intendere ostendunt, quam ut si non verentur, dicant: nolumus Christum regnare super nos, quia videlicet legem potestatis suo vicario traditam et ab ejus universali ecclesia usque in praesentia tempora propter obedientiae meritum supportatam növis legibus infringere volunt. Adjiciendum est etiam, quod hic respondens praetendit, plenitudinem potestatis non esse in papa, sed in ecclesia vel concilio, quod quantum longe sit a veritate et a mente sanctorum doctorum, patet intuenti s. Thomam i. tract. c. error. Graec. c. LVI., cujus verba sunt haec: habetur etiam ex praedictorum doctorum auctoritatibus, quod Rom. pontifex habeat in ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit enim Cyrillus patriarcha Alexandrinus i. l. thesaur.: Sicut Christus accepit ducatum et sceptrum ecclesiae gentium ex Israel super omnem principatum et potestatem et super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curventur, plenissimam potestatem: sic Petro et ejus successoribus plenissime commisit. Et infra: Nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Et infra: Pedes Christi humanitas et ipse homo, cui tota trinitas plenissimam dedit potestatem, quam unus trium assumpsit et in unitate transvexit ad patrem super omnem principatum et potestatem, ut adorent eum omnes angeli dei, quod totum dimisit per sacramentum et potestatem Petro et ecclesiae ejus. Et Chrysostomus dicit ad consulta Burgarorum ex persona Christi loquens: Ter te interrogo, an me diligas, quia ter me trepidus et timidus negasti; nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam et clavium auctoritatem amisisse, quia amas me coram ipsis, tibi jam confirmo, quod meum est plenum. Hoc etiam trahitur ex auctoritate scripturae; nam dominus Matth. XVI. Petro dixit: Quodcunque solveris super terram &c. Haec Thomas. Ex quibus patet, quod si soli Petri contulit Christus

ſuam auctoritatem et plenitudinem, ut Cyrillus dicit, quod non contulit eam univerſali eccleſiae vel concilio. Quod ſi dicas, quod imo etiam contulit eccleſiae, quia Cyrillus dicit poſtea, quod contulit eam Petro et eccleſiae ejus: dico, quod principaliter contulit Petro, quia ipſum praeponit. Et ſic eccleſia non habet quicquam auctoritatis ſupra Petrum. Quod ſi dicas, quod imo contulit aequaliter, habeo idem, quia par in parem non habet imperium; et tunc habeo, quod aeque habet Petrus in eccleſiam imperium, ſicut eccleſia in Petrum. Sed quia hic non eſt divinae operationis ordo, ut per ſe ordinatis ſua virtus ex aequo diffundatur, ſi hic nomine eccleſiae Petri velimus eccleſiam univerſalem intelligere, ſic debet intelligi dictum Cyrillli, quod videl. contulit Petro et eccleſiae ejus per Petrum et quantum Petro placuit. Sed tamen hic non eſt intellectus Cyrilli utque intuenti proceſſum s. Thomae in dicto libro, in quo hos doctores adducit; ſed per eccleſiam Petri intelligitur eccleſia romana, in qua ipſe ſedet et in qua ipſo mortuo remanet Petri auctoritas habitualiter, donec novus ſeſſor inſurgat et cui medio tempore ceterae ſedes obedire tenentur, ſicut infra dicetur. Quod ſi aliquis velit dicere, quod haec quidem vera ſunt de s. Petro, ſed non de aliis Rom. pontificibus: hoc excludit idem s. Thomas i. c. ſequ., ubi ſic dicit: Oſtenditur etiam, quod Petrus ſit Chriſti vicarius et quod Rom. pontifex Petri ſucceſſor ſit in eadem poteſtate Petro a Chriſto collata. Dicit enim canon concilii Chalcedonenſis: Si quis episcopus praedicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum episcopum antiquae Romae, quem habemus Petrum petram refugii et ipſi ſoli libera poteſtate loco dei ſit jus decernendi episcopi criminati infamiam ſecundum claves a domino ei collatas. Et infra: et omnia diffinita ab eo teneantur tanquam a vicario apoſtolici throni. Item Cyrillus patriarcha Hieroſolymitanus dicit ex perſona Chriſti loquens: Tu cum fine et ego ſine

ſine cum omnibus quos loco tui ponam plene et perfecte ſacramento et auctoritate cum eis ero, ſicut ſum et tecum. Item Cyrillus Alexandrinus patriarcha in theſaur. dicit, quod apoſtoli in evangeliis et epiſtolis affirmaverunt, in omni doctrina Petrum eſſe loco domini et ejus eccleſiam, sc. Romanam, eidem dantes locum in omni capitulo et ſynagoga, in omni electione et affirmatione. Et infra: Cui, sc. Petro, omnes jure divino caput inclinant et primates mundi tanquam ipſi domino Jeſu obediunt. Item Chryſoſtomus dicit, ex perſona filii loquens: Pasce oves meas i. e. loco mei praepoſitus eſto fratrum. Haec Thomas. Et nota, quod hic non adducit s. doctor niſi teſtimonia doctorum graecorum, quia loquebatur contra Graecos, qui latinos non ſuscipiunt, quod niſi fuiſſet, multo plura teſtimonia induxiſſet. Ubi etiam nota ex verbis Cyrilli Hieroſolym., quod non dicit Chriſtus ſe affuturum conciliis, ſed Rom. pontificibus, unde non erigant cornua, tanquam cum ipſis ſolis ſit Chriſtus, nec tam facile errorem papae impingant, cum quo ſe promiſit Chriſtus affuturum et ſacramento et auctoritate.

Quartus Punctus.

Quartus punctus dictae reſponſionis notatur, ubi dicitur: Nam et ſi caput eccleſiae &c., ubi ponit in ſententia, papam ſic eſſe caput concilii, quod tamen eſt membrum ejus, propter quod non eſt potentior vel dignior ipſo concilio vel major: unde ſicut membrum non eſt majus ſuo toto, licet aliquod membrum poſſit eſſe majus quolibet alio membro, ita et papa major eſt quolibet de concilio, non tamen ipſo concilio. Sicut ſi dicamus, quod leo eſt caput beſtiarum, quia eſt major vel potentior qualibet beſtia, non tamen major omnibus ſimul. Hoc autem, quam ſit inaviſate dictum, faciliter apparet, quia ſi iſtam rationem velimus ſequi, habemus etiam dicere, quod Chriſtus benedictus non ſit major tota eccleſia, cum etiam ipſe ſit membrum eccleſiae,

ut expreſſe dicit Apoſtolus I. Cor. XII: Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti, eccleſiae, et membra de membro, ubi gloſſa: Eſtis membra pendentia de membro Chriſto capite et commembro. Et ad hunc ſenſum proſequitur s. Thomas hunc textum in quaeſtionibus de veritate qu. XXIX. art. IV. ad VI., ubi oſtendit, quod ratio membri non inducit aliquam imperfectionem in Chriſto, quia dicitur membrum ratione ſuae diſtinctionis a ceteris membris, ratione eccleſiae. Diſtinguitur autem, inquit, a ceteris membris perfectione, quia in ipſo eſt univerſaliter gratia, non autem in aliquo aliorum, ſicut et caput corporis naturalis ab aliis diſtinguitur membris. Unde non oportet, quod ex hoc attribuatur Chriſto aliqua imperfectio. Haec ille. Ad cujus pleniorem intellectum videnda eſſent, quae ibidem in corpore quaeſtionis ponit de duplici habitudine capitis ad corpus et de tribus membris cujuslibet habitudinis, quae hic brevitatis cauſa non ſcribo. Dico ergo, quod ſicut eſt de Chriſto reſpectu eccleſiae univerſalis ſimpliciter, ita eſt de vicario ejus reſpectu univerſalis eccleſiae ſecundum quid. Et dico ſecundum quid, quia papa non eſt caput niſi hominum viatorum et in tempore ſui pontificatus; Chriſtus autem eſt caput tam civium quam viatorum, et ſecundum omne tempus, quia eſt ſacerdos in aeternum, ut docet s. Thomas in III. parte qu. VIII. art. VI. Sicut igitur Chriſtus ex hoc quod eſt membrum eccleſiae, non perdit, quin in ipſo ſolo ſit plenitudo gratiae, ita ſuus vicarius ex hoc, quod eſt membrum non perdit, quin in ipſo ſolo ſit plenitudo poteſtatis ſub Chriſto. Sicut caput naturale ex hoc quod eſt etiam membrum, non perdit, quin in ipſo ſolo ſit plenitudo ſenſuum, ſic quod totum corpus etiam univerſaliter vel collective ſumptum non habet ex ſe vel ab alio hanc plenitudinem, quinimo nihil habet, niſi quantum a capite habet, quo ſecluſo mortuum manet. Cum ergo, ut ubi ſupra s. Thomas dicit: caput in ſpiritualibus transſumptive ſumptum ſit a capite in corpore naturali,

quicquid dicitur de capite ſpirituali, cujus ſimilitudo non inveniatur in corpore et capite naturalibus, hoc eſt potius fingere, quam realiter dicere. Et ideo mera fictio eſt cenſenda opinio iſtorum, qui fingunt, aliquam jurisdictionem eſſe in eccleſia non quidem hac vel illa, ſed univerſali, quae non dependeat a papa, quem ipſimet caput eccleſiae ſeu concilii confitentur. Hoc enim non aliud videtur, quam quibusdam dialecticis tergiverſationibus uti; unde non mirum, ſi intellectum obſcuratum habent ſacro approbante Hieronymo ad Damaſum papam ſcribente: Nonne, inquit, vobis videtur in vanitate ſenſus et obſcuritate mentis ingredi illum, qui diebus et noctibus dialectica arte torquetur? ut enim idem Hieronymus ſuper Iſaiam ſcribit: Vino inebriantur, qui ſcripturas male intelligunt ac pervertunt, ſicera qui abutuntur ſaeculari ſapientia et dialecticorum tendiculis, quae non tam vincula ſunt appellanda, quam fantasmata i. e. umbrae quaedam et imagines, quae cito pereunt et reſolvuntur. Et notanter dicit abutuntur, non enim uti dialectica in vitio eſt, ſed abuti. Abutitur autem, quicunque, ubi non expedit, dialecticis regulis vel diſtinctionibus utitur, ſicut in propoſito. Nam haec diſtinctio inter eccleſiam particularem et univerſalem in hoc caſu nullum locum habet, quia qui praeeſt uni, non praeſit et alteri. Sed tamen quia iſte reſpondens huic diſtinctioni multum innititur falſo gloſſando s. Thomam, ut fugam aliquam inveniat, oſtendere expedit, quod haec gloſſa ejus de directo eſt contra mentem dicti doctoris. Nam hic doctor ferventiſſimus haereſum impugnator ac diligentiſſimus s. Rom. ſedis defenſator in libro quem edidit contra errores Graecorum, poſtquam probavit c. LIV., Graecos errare circa proceſſionem Spiritus ſancti, ſic dicit ad litteram: Similis autem error eſt dicentium Chriſti vicarium Rom. pontificem non habere univerſalis eccleſiae primatum, errori dicentium, Spiritum ſanctum a filio non procedere. Ipſe enim Chriſtus dei filius ſuam eccleſiam conſecrat et

partus ſibi conſignat ſpiritu ſancto quaſi ſuo charactere et ſigillo, ut ex ſupra poſitis auctoritatibus manifeſte habetur. Et ſimiliter Chriſti vicarius ſuo primatu et providentia univerſam eccleſiam tanquam fidelis miniſter Chriſto ſubjectam conſervat. Oſtendendum eſt igitur ex auctoritatibus graecorum doctorum praedictum Chriſti vicarium in totam eccleſiam Chriſti poteſtatis plenitudinem obtinere. Quod enim Rom. pontifex et ſucceſſor Petri Chriſti vicarius ſit primus et maximus omnium episcoporum canon concilii expreſſe oſtendit, ſic dicens: Veneramur ſecundum ſcripturas et canonum diffinitionem ſanctiſſimum antiquae Romae episcopum primum eſſe et maximum omnium episcoporum &c. Haec ſunt verba s. doctoris ad litteram. Quod ſi forte hic reſpondens velit haec verba gloſſare et ad ſuum praedictum ſenſum trahere, dicendo, quod quando dicitur hic totam vel univerſalem eccleſiam, intelligitur diſtributive et non collective, et quod hoc videtur ſonare finis capitali, ubi dicitur, quod Rom. pontifex eſt primus et maximus omnium episcoporum, quod et ipſe reſpondens concedit: attendat, quod ad hoc ut videtur excludendum idem doctor notanter addidit capitulum LV., cujus rubrica talis eſt videl., quod Rom. pontifex in totam eccleſiam Chriſti univerſalem praelationem habet. Tenor autem capituli eſt iſte. Oſtenditur etiam, quod praedictus Chriſti vicarius in totam Chriſti eccleſiam univerſalem praelationem obtineat. Legitur enim, in Chalcedonenſi concilio, quod tota ſynodus adclamavit Leoni papae: Leo ſanctiſſimus apoſtolicus et ycomenicos i. e. univerſalis patriarcha per multos annos vivat. Et Chriſoſtomus ſuper Matth.: Filius quae patris eſt et ipſius filii poteſtatem Petro ubique terrarum conceſſit et homini mortali omnium quae in coelo ſunt dedit auctoritatem, dando eidem claves ad hoc, ut eccleſiam ubique terrarum amplificet. Et ſuper Joann. homil. LXXXV: Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magiſtrum et doctorem.

Idem quoque ſuper actus apoſtol.: Petrus a filio ſuper omnes quae filii eſt poteſtatem accepit, non ut Moyſes in gentem unam, ſed in univerſo orbe. Hoc etiam trahitur ex auctoritate s. ſcripturae. Nam Petro indiſtincte oves ſuas commiſit, dicens Joann. ult.: Pasce oves meas, et Joann. X.: Sit unum ovile et unus paſtor. Haec ſunt verba dicti capituli. Ex quibus patet omni non paſſionato lectori et quantumlibet parum litterato, quod doctor ſanctus in duobus iſtis capitulis voluit impugnare duos errores: Primus eſt dicentium, papam non habere primatum ſuper omnes episcopos, nec poſſe de ſubditis disponere unius dioeceſis vel parochiae ſine voluntate dioeceſis vel curati. Et iſte fuit et eſt error Graecorum, propter quem ab obedientia ſedis Rom. ſe ſubtrahunt in eorum damnationem. Quem etiam errorem ſecuti ſunt olim quidam magiſtri Pariſienſes, ut Mag. Guillelmus de s. amore et Mag. Joannes de Pogliaco, contra quos s. Thomas alium librum ſcripſit et hunc reprobare intendit idem doctor licet breviter in cap. LIV., cujus rubrica talis eſt: Quod pontifex Rom. ſit primus et maximus omnium episcoporum ſeu inter omnes episcopos. Secundus autem error eſt dicentium, quod licet Rom. pontifex habeat praelationem et auctoritatem ſuper quemlibet episcopum vel eccleſiam in particulari, non tamen ſuper omnes episcopos ſimul congregatos, qui faciunt, ut dicunt, concilium vel eccleſiam univerſalem. Et hunc errorem in tendit impugnare in dicto cap. LV., cujus intellectum dat rubrica quae dicit, ut ſupra poſitum eſt, quod Rom. pontifex in totam Chriſti eccleſiam univerſalem praelationem habet, et hic eſt error modernus quorumdam Latinorum. Patet ergo cuilibet etiam parum intelligenti, quod de mente s. Thomae non eſt ſolum probare, erroneum eſſe dicere, Rom. pontificem non habere auctoritatem ſuper omnem eccleſiam in particulari, quia cum hoc probaſſet in I. cap., fruſtra addidiſſet ſecundum, ſi in illo idem probare intendiſſet, nec diſtinctam

tam apertam rubricam addidiſſet. Videat ergo iſte reſpondens, quomodo bene s. Thomam viderit in hoc paſſu, et non falſe illi attribuat, cujus oppoſitum tam clare docet. Quod ſi forſan dicat, ſe illi hunc ſenſum non attribuere, ſed ſic illum eſſe intelligendum, ut verba ſua ſonant: dico, quod hoc poſſet dicere attentis verbis I. cap., ſed nequaquam attento II. cap. Attendat ergo potius, ne ſocium erroneorum Graecorum ſe ſtatuat, cum idem doctor, ut praemiſſum eſt, dicat: Quod ſimilis error eſt dicentium, Chriſti vicarium Rom. pontificem non habere univerſalis eccleſiae primatum, errori dicentium, ſpiritum ſanctum a filio non procedere. Nec fulciat ſe baculo arundineo dicens, quod hoc diffinivit Conſtantienſe concilium, quum ſi verba ſancti doctoris vera ſunt, ita parum ſtandum eſt dicto concilii, ſi dicat papam non habere primatum in univerſalem eccleſiam, ſicut ſi diffiniret, ſpiritum ſanctum a filio non procedere. Quinimo juxta Apoſtolum: Et ſi angelus de coelo veniens aliud evangelizet, non aliud tenendum eſt, quam quod tradiderunt ſancti, et usque nunc tenuit et ſervavit Romana et univerſalis eccleſia.

Quia tamen ſuum dictum roborare nititur ratione, exemplis et auctoritatibus, videre expedit, quantum militant. Primo ergo probare dictum ſuum nititur ratione. Et quidem ratio ſua eſt: quia reliquum totum corpus, etiam non computato papa, errare non poteſt, alioquin ſi errare poſſet in his quae ſunt fidei, et papa etiam errare poteſt, tunc et papa et reliquo corpore errante tota eccleſia erraret, quod eſſe non poteſt. Haec enim ratio invalida et ſatis levis eſſe monſtratur ex his quae dicta ſunt in II. et III. punctis hujus partis. Secundo probare intendit ſuum dictum experientia ſive exemplo, quia legimus, inquit, papam quandoque erraſſe, nunquam autem univerſalem eccleſiam. Ad quod dico, quod ex hoc non ſequitur, quin papa, ſaltem fidelis, ſit major toto reliquo corpore eccleſiae vel concilii. Quod bene innuit Chriſtus poſt reſurrectionem, cum

ter interrogavit Petrum de amore ejus et ſubdidit: Pasce oves meas, ubi ſecundum gloſſ. innuit Chriſtus, quod licet Petrus ter Chriſtum negaſſet, non tamen perdiderat auctoritatem, quam ſibi contulerat. Item adducit etiam, quod papa nunquam legitur, totum reliquum corpus condemnaſſe, excommunicaſſe aut depoſuiſſe. Quod certe parum eſt dictu, quia a non facere ad non poſſe facere non valet argumentum. Quod enim non condemnaverat reſiduum corpus, ideo fuit, quia non fuit cauſa, quia non invenit condemnatione dignum; poſſet tamen, ubi juſtitia exigeret, quod non eſt timendum ex praeveniente gratia D. J. Chr. Quod autem non excommunicaverat nec mirum, quia etiam parva communitas ſecundum jura excommunicari non debet. Quod vero non depoſuerit, ratio eſt, quia tota eccleſia non poteſt deponi, quia non omnes de eccleſia ſunt deponibiles, cum non omnes ſint in gradu poteſtatis, ad quos tantum depoſitio ſpectat. Dico autem, quod ſi omnes qui ſunt in poteſtate ſpirituali vel temporali conſtituti invenirentur errare in fide vel aliud facere, propter quod deponi ſecundum jura merentur, utique omnes poſſet deponere et loco eorum alios ſurrogare. Unde dico, quod ſi in uno concilio ſit certus numerus praelatorum et omnes in errorem fidei conveniant, quod omnes illos papa poteſt deponere et loco eorum fideles ſubſtituere qui negocia concilii proſequantur vel concilium ipſum, ſi videbitur, diſſolvere. Adducit etiam ad hoc, quod reliquum corpus ſaepe papam condemnavit atque depoſuit. Quod quantum veritatis habeat, declaratum eſt ſupra in II. parte hujus tractatus in reſponſione ad III. fundamentum. Sed quia hic aliquos adducit quos ego ibi non poſui, videndum, quid etiam de illis veritas habeat. Primo enim adducit in medium Anaſtaſium, et quidem ſi intelligat de Anaſtaſio, de quo dictum eſt ſupra in concluſ. II., conſtat, quod non fuit ab univerſali eccleſia ſententiatus nec depoſitus, licet enim dicat Martinus

in chron. ſua, quod multi presbiteri et clerici ſe contra iſtum papam erexerunt eo quod communicaſſet Photino et Achatio, non tamen dicit, quod ipſum judicaverint vel ſententiaverint; ſed quod fuit divino judicio percuſſus et depoſitus. Et etiam hoc idem habetur c. Anaſtaſius XIX. diſt. cum ſua glo. Secundo adducit Liberium, de quo tamen non legitur, quod in vita ſua depoſitus fuerit; ſed quod poſt mortem ejus, poſtquam annis ſeptem vel circa ſediſſet, non concilium tamen, ſed Damaſus papa eum condemnavit, et omne quod fecerat publice annihilavit, ut refert idem Martinus. Et hic eſt modus quem in hoc caſu magis laudo, ſalva ſemper ſententia Rom. eccleſiae, videl. quod ſi unus papa inveniatur male ſentire in fide vel moribus cum patientia et humilitate et continuarum precum ad Chriſtum porrectione ipſum tolerare in terris, quamdiu ſibi illum tolerare placet in coelis potius quam contra ipſum procedere, quia ex hoc imminet periculum magis de propinquo quam periculum periclitationis totius eccleſiae in fide, quod quidem eſt periculum ſchismatis, quia raro vel nunquam invenitur fuiſſe temptatus proceſſus contra papam, quin ſtatim ſecutum ſit ſchisma, quia raro eſt, quin papa habeat fautores et adhaerentes. De fide autem maxime pro pauco tempore et praeſertim apud ſapientes non tantum periculum imminet et potiſſime in praeſenti statu eccleſiae, in quo ut dicit b. Maximus, ridiculoſum eſt, ſi poſt prophetarum oracula, poſt apoſtolorum teſtimonia, poſt martirum vulnera veterem fidem quaſi novellam discutere praeſumas et poſt morientium ſudores otioſa disputatione de veritate religionis contendas, et denique poſt mortem talis papae facere de eo, ut Damaſus de praedicto Liberio fecit. Et hoc conſonat juri dicenti, quod error papae praecedentis per ſequentem corrigi debet, ut ſupra allegatum eſt. Adducit etiam tertio Benedictum IX., quod etiam parum facit ad propoſitum, quia hic papatum invaſerat et per ſimoniam intraverat, ut ponit

Vincentius l. XXVI. c. XXI. De talibus autem qui non paſtores ipſo jure ſunt ſed fures, non loquimur, sed de canonice per oſtium non per poſticum intrantibus. Ubi tamen verus papa fuiſſet, etiam non haberetur propoſitum, quia potuiſſet ejectus fuisse de facto et non de jure, ſicut etiam multi alii pontifices summi injuſte ejecti fuerunt, ut in praedictis chronicis legitur. Ex quo tamen minime ſequitur, quod papa a ſubditis poſſit legitime deponi. De Benedicto vero XIII. et Joanne XXIII. quos etiam adducit, non eſt quaeſtio, quia ipſi faciebant ſchisma in eccleſia, ut fertur, uno tenente unam partem obedientiae, altero aliam. Et in casu dubii, quando non habetur certitudo evidens, quis ſit verus papa, et quilibet eorum eſt pertinax, non nego, quin propter tollendum ſchisma debeat procedi contra utrumque, et tunc non agitur contra papam, ſed contra praeſumptum papam, ut ſupra dictum eſt. Nititur tertio praefatus reſpondens dictum suum roborare dicto Auguſtini dicens, quod cum Petrus claves accepit, eccleſiam significavit; et quod ideo uni dedit, ut unitatem eccleſiae ſignificaret, et per conſequens eccleſia eſt quae habet claves vere super omnes principaliter et supra papam. Ad quod, licet sufficere poſſent quae dicta sunt in I. parte conclus. XIV., verumtamen, ut ſciatur, quam modica eſt haec argumentatio, ſciendum, quod ſecundum hoc oporteret dicere, quod Adam non accepit humanitatem ut principium et fons, unde manaret in reliquum totum genus humanum. Nam ideo etiam deus a principio non pluribus, sed uni homini naturam humanam dedit, ut unitatem humani generis ſignificaret, ut dicit b. Ambroſius in lib. de paradiſo et habetur XXXIII. qu. finali c. ſi. Circa quod ſciendum, quod ſicut dicit b. Gregorius: divina quidem opera ſic intelligenda ſunt, ut et in veritate credantur facta et per myſterium aliud innuant, quia ſecundum regulam theologicam nedum dei vel s. ſcripturae dicta, ſed etiam facta ſignificativa ſunt, ita tamen quod ſigni-

ficatio nihil tollat de veritate rei factae; ficut falvatio Jonae de ventre ceti fignificavit refurrectionem Chrifti absque diminutione aliqua de veritate rei. Et ita in propofito volens nos deus inducere ad unitatem animorum fciens, nos habere unam naturam corporis, voluit illam uni foli primo tradere a quo nos omnes illam traheremus ficut a fontali principio noftrae originis. Verum ergo et veriffimum fuit, fic deum tradidiffe primo homini naturam humanam ut fontali principio totius reliqui humani generis, ut nec aliquis homo in particulari, nec totum ipfum universale humanum genus, excepto Adam, ipfam naturam humanam haberet ex se five fontaliter, nec a deo immediate, fed rivaliter et derivative ab ipfo primo principio humanitatis, sc. Adam. Et ita etiam in recreatione five regeneratione humani generis, quae fuit per fidem, volens Christus oftendere totam ecclefiam debere habere non variam, sed unam fidem; et juxta hanc fidem unam, non variam jurisdictionem voluit illam fidem primo faltem quoad fui perfectionem revelari uni foli, sc. Petro, Matth. XVI.: Beatus es, Simon, Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, fed pater meus coeleftis; et juxta illam fidem tribuere fuam jurisdictionem, quia tibi fcilicet ficut fontali principio dabo claves regni coelorum, ceteris autem per te, ficut et humanitatem per Adam. Sicut enim dicit Chryfoftomus fuper Matth.: Filius quae patris eft et ipfius filii poteftatem Petro ubique terrarum conceffit, dando eidem claves ad hoc, ut ecclefiam ubique terrarum amplificet. Quae quidem amplificatio non eft nifi per communicationem fuae poteftatis in partem folicitudinis refervata semper fibi foli plenitudine poteftatis, ficut Adam amplificavit genus humanum per communicationem fuae humanitatis refervata semper fibi ratione fontalis principii quae neque particulari homini neque ipfi toti humano generi communicata eft. Et ideo ficut vanum eft dicere et quoddam fomniare, quod ipfum

humanum genus feclufa perfona Adae habeat aliquid humanitatis a deo immediate, ita etiam quod ipfa ecclefia habeat aliquid a Chrifto nifi mediante Petro. Et quod dico de Petro et de quolibet ejus legitimo fucceffore dicendum eft, quia in ipfis fuccefforibus cenfendus eft Petrus semper vivere. Et ideo confiderandum eft, quam fit inepte dictum quod ifte infert, videlicet quod ipfa universalis ecclefia eft quidem unus princeps, et hoc facit, ut fugiat dictum philofophi dicentis, quod pluralitas principatuum eft mala; hoc enim non eft aliud quam privare Petrum fuo principatu et falfificare id quod ecclefia de eo cantat: Tu es paftor ovium, princeps apoftolorum. Si enim Petrus eft princeps et ecclefia princeps, et Petrus non eft ecclefia, ut ifte expreffe dicit, duo ergo erunt principes, ergo male difponentur entia in universo, quod ifte effugere vult. Quod fi dicat, quod eft princeps fub principe, quia Petrus fub ecclefia, quomodo hoc admittit ratio ut amplificans sub amplificato, propagans fub propagato, paftor sub ovili, fponsus fub fponfa; et praeterea fi ecclefia fic fumitur pro congregatione fidelium a qua neminem excludere oportet, quia haec eft quae non poteft errare; fi ipfa eft princeps, cujus eft princeps, cui principabitur? Aut enim principabitur infidelibus, et hoc non, quia sunt extra ipsam, nihil enim fecundum Apoftolum ad eam de his quae foris sunt, I. Cor. V.: Aut fidelibus, sed hi funt ipfa ecclefia, principabitur igitur fibiipfi, quod non capit ratio. Melius igitur et fatius erat dicere ecclefiam non principem, fed principatum, cui praeeminet verus princeps vicarius Jefu Chrifti. Haec igitur funt potius verba fponfae repudiantis virum fuum et dicentis in corde fuo: regina fedeo et vidua non fum, Apocal. XVIII., quia ficut habeo Chriftum fponfum et alium non cognofco, innitendo dicto Apostoli, Eph. V.: Vir caput eft mulieris, sic et Chriftus caput ecclefiae, non advertens, quod Apoftolus loquitur ibi

de eccleſia univerſali ſimpliciter, quae includit cives principaliter et ſecundario viatores. Haec enim habet immediatum ſponſum Chriſtum, quia in illa Petrus non eſt caput, ſed membrum tantum; nos autem hic loquimur de univerſali eccleſia, quae includit tantum viatores. pro ſtatu ſenſibilis vitae, in quo non decuit, recedente Chriſto ab hoc ſtatu remanere illam ſine sponso ejusdem ſtatus, et ideo providit Chriſtus de Petro loco ſui, quem tamen repudiare videtur quod non poteſt ſine gravi injuria Jeſu Chriſti. Cui Petro seu papae repulſo quid aliud dicet Chriſtus, quam quod dicit dominus Samueli I. Reg. VIII.: Non te, inquit, abjecerunt hodie, ſed me, ne regnem ſuper eos. Nec obſtat, quod adducit, quod dominus Martinus et dominus Eugenius has ſententias in quibusdam ſuis reſcriptis confirmant, ſaltem quoad principalem punctum de ſubjectione papae concilio, ſuper quo dictum eſt ſupra parte II. in reſponſione ad III. fundamentum. Sed tamen ſi, ſicut ipse dicit, ita facile eſt papam errare, poſſunt iſtum errorem ponere cum aliis, verumtamen quia non de facili praeſumendum eſt de errore papae, ut dicit Ennodius, hoc potius attribuendum eſt cuidam piae diſſimulationi usque ad tempus, praeſertim ubi imminet periculum ſchiſmatis quod papa non ita facile tollere poterit, ſicut dictum ſuum vel reſcriptum declarare moderari vel ex certa cauſa revocare. Et hujus ſimile ſaepe in jure factum invenitur. Et ideo quando videro hanc concluſionem poſitam eſſe in corpore juris ex certa ſententia et libera voluntate ſummi pontificis, tunc dimittam opinionem meam captivando intellectum meum in obſequium vicarii Jeſu Chriſti.

Quintus Punctus.

Quintus Punctus dictae reſponſionis eſt in quo nititur gloſſare quaedam jura quae videntur ſuae ſententiae repugnare. Et primo dicit, quod jura, quae dicunt, quod concilia per Rom. eccleſiam fiunt et robur

accipiunt, ſic intelliguntur, quod capiunt robur, ut congregentur, non ut congregata poteſtatem judicandi et ſtatuendi a papa conſequantur. Qui intellectus ſatis impugnari poteſt per V. concluſionem et VI., et etiam ex III. puncto hujus partis, ubi oſtenſum eſt, quod ſententiae concilii non habent vim legis, nisi a papa confirmentur, quod ſatis oſtendit hoc, quia conciliis finitis et expletis mittebatur pro confirmatione, ſicut ſupra narratum eſt. Et idem etiam confirmatur per ſynodum Symmachi papae, ubi legitur, quod finito concilio ſynodus ſic dixit: Ea quae in libello quem Ennodius noſtra auctoritate conſcripſit, ſicut in veſtra praesentia relecta ſunt, ut in perpetuum ſerventur, rogamus, ut veſtra apoſtolica auctoritate confirmentur. Ex quibus plus quam evidenter apparet, quod nedum congregatio et initium concilii a papa dependent, ſed etiam finis et ejus terminatio. Quod ſi dicat, quod iſta confirmatio ſolum eſt ad bene eſſe, ita videl. quod concilium hoc facit ex humilitate et propter reverentiam apoſtolicae ſedis, ut etiam ipſe ſciat et ſibi placeant, quae ipſi fecerunt, ita tamen quod ſive confirmet ſive non, ſtatuta nihilominus valent: hoc patet eſſe falſum per ea quae in praedicto III. puncto dicta ſunt. Nam ibi dicitur, quod papa caſſavit ordinationem concilii Chalcedonenſis de ſedibus patriarchalibus, quam caſſationem eccleſia usque nunc tenuit et obſervavit. Quod ſi dicat, quod ideo hoc acceptavit eccleſia, quia concilium illud praejudicabat juribus aliarum ſedium, tunc ex hoc habeo, quod concilium poteſt errare, cujus oppoſitum vult fortiter tenere vel ſuſtinere. Neque hic aliud quaerimus, niſi quod male ſtatuta per concilium papa habeat revocare, bene autem ordinata confirmare. Item ex hoc etiam ſequitur, quod concilium ſine papa non habet plenitudinem potestatis, quia hanc habens bene poteſt jus unius in alterum transferre, et jura volunt ſaltem ex certa causa, quae tunc ſatis colorata erat, videl. propter honorem imperialis

majeſtatis, ut ipſi allegabant. Et ſi dicatur, quod ſententia concilii Conſtantienſis praejudicat dicto unius doctoris, quinimo decem doctorum, ut iſte dicit: dico, quod hoc habet veritatem in cauſis et litigiis decidendis, non autem in ſcripturis exponendis, ut dicitur diſt. XX. c. pri. Hic autem agitur de expoſitione et vero intellectu s. ſcripturae, quia materia iſta tota dependet ex verbis Chriſti in evangelio, dando auctoritatem Petro qualem videl. et quantam dederit, et an ſibi ſoli et principaliter, an etiam aliis aeque vel magis principaliter et hujusmodi. Quinimo etiam dictum unius doctoris corroboratum teſtimonio ſcripturae praejudicat ſententiae unius concilii, ut dicit glossa XXXVI. qu. II. c. placuit. Et etiam dictum unius doctoris fulcitum auctoritate vel teſtimonio unius concilii praejudicat alteri concilio, ut eadem gloſſa teſtatur. Et ſic dictum b. Hieronymi praejudicavit concilio Aquisgrani, in quo fuerat determinatum, quod raptor non poſſit deſponſare raptam, ut dicit gloſſa in c. de libellis XX. diſt. ſuper verbo illorum, quia Hieronymus innixus fuit ſtatuto concilii Meldenſis, quod aliter diſpoſuerat, ut habetur ex gloſſa in dicto c. placuit XXXVI. diſt. Inſuper et unus ſummus pontifex derogat per ſuum ſtatutum toti concilio. Nam eccleſia habuit usque in praeſens pro jure id quod Innocentius ſtatuit contra concilium Lateranenſe circa gradus conſanguinitatis, ut habetur in c. non debet extra de conſangu. Per quae omnia incidentaliter etiam patet, non ita rata eſſe dicta unius concilii, ſicut dictum evangelii, ut iſte dicit. Intendit etiam gloſſare omnia jura quae dicunt, papam non esse ſubditum legibus, inquantum poteſt quascunque leges immutare et ſimilia, quia ut dicit, omnia iſta intelliguntur de legibus quae non tangunt ipſum, ſed alios. In his autem quae ipſum concernunt, nihil poteſt immutare, ſed contra haec ſufficere poſſunt quae in concluſione VI. dicta ſunt et ſupra in III. puncto hujus partis. Et praeterea nihil eſſet dicere,

quod princeps eſt ſolutus legibus, ſi intelligatur inquantum ipſum non concernunt, quia quilibet iſto modo eſt ſolutus legibus, niſi quoad earum immutationem; ſed intellectus juris eſt, quod ipſe non habet, qui ipſum aſtringat vel puniat in terris, ut dictum eſt ſupra in III. puncto. Quod ſi dicas, quod hoc intelligitur de principe qui non habet ſuperiorem: certe hoc nulli magis convenit quam papae a quo omnis principatus deſcendit, niſi dicat eccleſiam eſſe ſuperiorem papa, quod licet dicat iſte, non tamen probat, et ſatis hoc impugnatum eſt. Item ſecundum Chryſoſtomum: Filius dedit Petro omnem ſuam et patris poteſtatem. Poteſtas autem Chriſti tanta fuit, ut ipſe eccleſiae praeeſſet, non ſubeſſet, igitur et eadem fuit Petri et ſucceſſorum. Et breviter ſuperfluum eſt hic immorari, quia qualiter papa ſubjiciatur canonibus quibuscunque, ſatis declaratum eſt ſupra conclus. VI. et in hac III. parte puncto III. Et haec ſunt quae circa praenominatam reſponſionem ſalvo ſemper s. Rom. eccleſiae et alterius ſaniori judicio dicenda viſa ſunt. Quaedam etiam alia in eadem reſponſione dixit quae particulatim ponere non curavi, vel quia veritati non videntur adverſa, vel ſi videantur, de facili ex praemiſſis solvi poſſunt vel etiam impugnari.

A m e n.